

1734.

1. Berenbach, Hieron. Magnus: De infirmitate
ejus vel paludis.
Verlakte, Josephus Ignatius:
2. Reichsstadt, Tolles See: De successione fidei et
3. 4. 5. Kiel und, Franciscus Georgius Andreae: De successione
scimus non sibi primogenitum fuisse. 2. Exempl.

6. 7. Helmstaedt, Georg Franciscus Fridericus: De sub-
jectione territoriali personarum in primis etiam fratribus
25 Sept. 1734 - 1737.

8. 9. 10. Hesse, Randolph Christophe: De jure cognoscendi
in feudi regalibus imperatori soli reservatis
25 Sept. 1734 - 1757.

6. Hoepner, Francis Fridericus: De numero in Dic-
tibus.

7^a Inchius, Hermanno Panus: De foeminei sexus
13

7^b sterilitate.

8^a Rauffus Samuel Hearius: De paenitentia bellicis
14
convenientiam vel eos non deo scientiam habent
firmitatem.

9 Reinhartii, Tobias Leib, Facult. iuris Civilis decanus
15
et Dissertationem in ang. (Iohannii Abraham Frey-
euii) invitatus.

10. Reinhartii, Tobias Leib, Facult. iuris Civilis decanus:
16
et Dissertationem in ang. (Georgii Friderici Hempelii)
invitat.

11. Reinhartii, Tobias Leib, Facult. iuris Civilis decanus:
17
et . . . Dissertationem in ang. (Gottlieb Ernesti Dicci)
invitat.

12. ^a Reinhartii, Tobias Leib, Facult. iuris Civilis decanus:
et . . . Dissertationem in ang. (Hannibali Henrici Rauffei)
invitat.

13. Reinhartth, Tobias Jacob, Facult. iuris Dicas
Decanus: ad . . . Dissertationem in ang. (I.o. P. St.
vici Haepneri) invitata.
14. Reinhartth, Tobias Jacob, Facult. iuris Dicas Decanus:
ad . . . Dissertationem in ang. (Augusti Leopoldi)
invitata.
15. Reinhartth, Tobias Jacob, Facult. iuris Dicas Decanus:
ad Dissertationem in ang. (Parac. Apollonius Ryden)
invitata.
16. Reinhartth, Tobias Jacob, Facult. iuris Dicas Decanus:
ad . . . Dissertationem in ang. (Georgii Friderici
Historici Helmstadiensii) invitata.
17. Reinhartth, Tobias Jacob, Facult. iuris Dicas
Decanus ad . . . Dissertationem in ang. (Christiane
Friderici Loeschi) invitata.)

18. Reinhartth, Tabes Lac.: De ergastulis corrigendis
jure.

19. Reinhartth, Tabes Lac.: De iudicis criminalis quatuor
mirabilibus in nominatione Coriolanus Art I. commen-
datio.

20. Reinhartth, Tabes Lac.: De accelerationibus iuris in
Marchionatus Lusatiae superioris

21. Reinhartth, Tabes Lac.: Vico, quod circa anniis
nem. iuriam et privilegiorum personarum iusti-
est.

22. Hanne, Rudolph Christian: De iure cognoscendi
in factis regalibus imperatori vel reservatis

23. Reinhartth, Tabes Lac.: De iuri ratione
civitatum municipiarum Saxoniarum.

23. Reinhardt, Tobias Tac.: De successione clerici
in iure sedam.
24. Reinhardt, Tobias Tac.: De pacto hereditario
renunciativo heredes et successores non obligantur.
25. Reinhardt, Tobias Tac.: De sponsionibus Vn. Wettin.
26. Reinhardt, Tobias Tac.: De causis ob quas
iure potestatem mitigandi penas falsi iuri
mitigata.
27. Reinhardtus, Tobias Tac.: De jure iuri dictiorum
valentiarum extra territorium populum excentis.
28. Rentzschius, Carol. Frider.: De successione secum.
Iuris iste naturae, nec non de con- alijs discen-
tientia iuri Romani cum Successori denunci-
ata, quam habet, potissimum collatales concor-
nent.

34. Rayher, Carolus Wilhelmus : De res consummata
causae victorie .

35. Rotermann, Dr. Mich. : De beneficiis excusione,
hypothecarum possessores competentes .

36. Rotermann, Dr. Mich. : De fiduciomis, et
quatenus res eodem affectu alienari possint .

37. Rotermann, Dr. Mich. : De fidei approbatione
non nisi ex consensu domini directi valida.

38. Steckel, Conr. Wilhelmus, Fac. iur. Sacre Decani :
f. b. s. (et Disputationem inag. Dr. Conradi Proportio
invitata).

39. Steckel, Conr. W. Melius, Facult. iur. Sacrae Decani :
f. b. s. (et Disputationem inag. Choribam Thysper
Wistigii invitat).

35. Strocker, Conradus: De iis, qui a nostra
cambiorum, vel jatis cambialis rigore sunt
exempti.

36. Strocker, Conradus: Dissertatio inq. ini. Dca,
exhibens difficultem per quæstiones incontarem
et veritatem personatae oriem

11. 1734, 3a 3
Pr. 50, Num. 14.
DISSERTATIO IN AVGURALIS
EX JVRE PVBLICO;
DE
SVCCESIONE
SECUNDVM JVS
PRIMOGENITVRÆ;

QVAM
IN PER-ANTIQUA UNIVERSITATE
ERFORDIENSI
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRÆNOBILI ET CONSULTISSIMO VIRO

R: 2461
DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, FACVLT. JVRID. DECANO ET ASSESSORE, COD. P. P. ORDIN.
ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITIS DE GLEICHEN ET HAZFELD CONSILARIO,
NEC NON EJVSDEM CANCELLARIE ET CONSISTORII BLANCKENHAIN.

DIRECTORE, CIVITATIS ERFORD. STNDICO
ET CONSULE,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES
AC PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME CONSEQUENDI,

SVB PRÆSIDIO NVMINIS ALTISSIMI
PVBLICÆ ERFDITORVM CENSURÆ EXPOSIT

AVTOR

FRANCISCVS GEORGIVS ANDREAS
HEILAND,

Bambergenis, A.A. LL. & Philos. Magister.

IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI H. C.
DIE II. DECEMBRIS ANNO M DCC XXXIV.

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO INYAGALIS
EX LARV. APATICO.

DE

SACCRSSIONE
SEGUNDAM IUS
PRIMORDIARY:

IN PRAEVALIA A MUNIFICENTIA
TRIUMPHALIS.

RECENSIT IN PRAEVALIA MAGNICO

DN. TOTIUS IAC. RONNIUS

PROLOGO. TOTIUS IAC. RONNIUS
RECENSIT IN PRAEVALIA MAGNICO

ET CETERA

SUMMOS IN AUTORES VIRE HONORES

AC PRIMORDIIS DOCUMENTARIAS

SATURNIDIUS RAVINUS ALTISSIMI

PROLOGO. TOTIUS IAC. RONNIUS

ERINICAS GEORGIAS ANDREAS

HELIAND

PROLOGO. TOTIUS IAC. RONNIUS

IN APHTORIO LOGIOLAY MATORI H. C.

MEI DEI BEGABRIS YMO M DECXXIIII.

EX LIBRIS A. TOTIUS ERINICUS VERA TATE



Q. D. B. V.
DE
SVCCSSIONE
SECUNDVM JVS PRIMOGE-
NITVRÆ
S E C T I O I.
*Quid & Quotuplex sit Jus Primo-
genituræ?*

§. I.

Successiones, maximè quæ ab intestato deseruntur, quam variis obnoxiaæ fuerint mutationibus, neminem nisi Juris Civilis penitus ignoram latere potest. Alia enim Legibus XII. Tabb. Alia senatus consultis; Alia Jure Prætorio; alia Principum Constitutionibus introducta fuit succedendi methodus. Nec satis intricata hæc successionalis materia ad ductum rectæ rationis & æquitatem naturalem reducta visa fuit, usque

A 2

dum

dum Imperator JVSTINIANVS remotis Juris veteris perpletatibus novam & simpliciorem successionis formam introducerit, eamque in tres ordines per *Novellam 118*, compendiosâ divisione redegerit, ac primò quidem Descendentium, his non existentibus Ascendentium, quibus deficientibus Collateralium voluerit haberi rationem, præprimis autem æqualitati ita intentus fuerit, ut æquales gradu, sublatâ scrupulosa Suos inter & Emancipatos, Agnatos & Cognatos, Patrem & Matrem differentia, æqualiter ad successionem admiserit.

§. II.

Verum licet saluberrima hæc Divi JVSTINIANI de Successionibus Constitutio æquitati naturali quam maximè sit conformis, humana autem tranquillitati perquam utilis & necessaria; Aliam tamen & ab hæc longè diversam successionis formam in Familiis praetertim Illustribus falso publica exigere visa fuit, eam nimurum quæ ex Jure Primogenitura defertur, quæ successionis forma ad Splendorem Familiarum augendum conservandumque, ut latius infra patebit, præprioris est introducta, vi cuius ea Primogenito masculo plerumque concessa est prærogativa, ut Féuda aut nobiliora passim prædia eidem soli, ultragenitis certà pro dignitate familie portione assignata, deferantur.

§. III.

Hoc Jus Primogeniturae in laciensi sensu acceptum definiri potest, quod sit: *Prærogativa filio primogenito p[ro]re reliquis fratribus competens*. Atque in hæc laxiori significatione dividitur à nonnullis in Divinum, Naturale, & Positivum, prout habet BETS. de paci. fam. Illustr. C. 8. §. 2. seqq. Divinum dicunt, quod in Lege veteri in prærogativa Sacerdotii, quod tunc Regno annexum erat, consistebat, unde Melchisedech Rex simul erat & Sacerdos Dei Altissimi Gen. C. 14. v. 18. et ad Hebre c. 7. v. 1. cui juri præcipuum hoc erat annexum, ut Primogenitus duplicum ex hereditate patris caperet portionem, ut constat ex Deuteronom. C. 21. v. 17. Naturale juxta eundem BETSIUM d. C. §. 3. est, quod Primogenito naturali quadam ratione competit in Regnis & Principatibus individuis,

duis, nec à Superiore aliquo dependentibus. Positivum de-
nique est, quod Lege aliqua universali, vel particulari, consuetudi-
ne, aut statuto, item pacto, vel dispositione ultime voluntatis ad con-
versationem familiarium ita instituitur, ut bona quedam de primoge-
nitio in primogenitum transeat, salvā semper linea primogenitū
prerogativā.

§. IV.

Sed hæc Juris Primogeniturae divisio nostris temporibus
adaptari haud posse, nec aliud præter Jus Primogeniturae Po-
sitivum videtur esse admittendum. Nam Jus Primogeniturae
Divinum, cum ad jus Forensē Judaicum pertineat, hodiè esse
sublatum, nemo ibit inficias, juxta illud ad Hebr. 7. Trans-
lato sacerdotio necesse fuit, ut etiam Legis translatio fieret.
Cum quo concordat C. 3. X. de Constitut. Naturale autem à
Positivo distingui posse non existimo; Si enim ex eo, quod
naturali quādam ratione in Regnis & Principatibus à Supe-
riore non dependentibus Primogenito hoc jus competit, na-
turale dici meretur, sanè & Jus Primogeniturae Positivum
Naturale erit dicendum, cum etiam in Regnis & Principati-
bus à superiore dependentibus idem naturalis suadeat ratio,
utpote quæ non fecus ac independentia Regna crebris divi-
sionibus debilitata cadunt, quæ indivisa inconcussa stetissent.
Adhac etiam in Regnis & Principatibus independentibus
aut lege Patriæ aut longavæ confuetudine jus Primogenitu-
re est introductum, ut adeò vel hoc ad positivum, vel Posi-
tivum ad Naturale sit referendum.

§. V.

Ethoc Jus Primogeniturae, quod vel Naturale, vel si præ-
placet, Positivum dici potest, non pauci sunt, qui cum Maj-
oratus jure, seu Senioratu confundunt. At licet ratione finis
Majoratus à Jure Primogeniturae haud differat, cum utram-
que Jus Familiarum Splendorem & Gloriam pro scopo ha-
beat, uti & perspèc Primogenitura Majoratus nomen attri-
buitur, & apud Hispanos hoc Jus Majoratum vocari testa-
tur ZOES. ad ff. De suis & leg. hered. n. 14. Specifica tamen
Primogenituram inter & Majoratum differentia in ordine

succedendi est ponenda; In Primogeniturā enim primogenitus ejusque descendentes jure representationis succedunt in Majoratu vero semper Senior, seu natu maximus in Familiā ad successionem vocatur, adeo ut in illā genitura, in hoc ætatis prærogativa attendatur SPRINGSFELD. de Appanag. C. 8. n. 6. p. 97. Unde jus Primogenituræ non egreditur lineam semel admissam, donec nullus ex illâ linea sit superstes; In Majoratu vero non habetur respectus ad certam linēam, sed ad totam Familiām, ita ut ex Agnatis semper succedat, quia major est ætate, & sic de lineâ in lineam ambulet successio. RHEM. Com. jur. publ. p. 310. n. II.

§. VI.

Differt præterea Jus Primogenituræ à Fideicommissio perpetuo Familiae simpliciter reliquo, cuius mentio fit in L. 32. §. 6. §. L. 69. §. 3. ff. de Legat. 2. quod in simplici Fideicommissio perpetuo familie admittantur in primis Liberi, deinde Ascendentes, tandem & Collaterales, & post hos quoque gener & nurus, qui etiam de familiâ reputantur. L. f. C. de Verb. & rer. signif. & quidem sine discrimine sexus, & si plures essent eodem gradu, omnes aequaliter. Cum è contra in Primogeniturā solus succedat Primogenitus, ita quidem, ut hæc prærogativa linea primogenitæ adharet, & nepos vel prœnepos primogeniti, aut ejus, qui jure successionis primogenito est proximior, licet alius primo instituenti, aut ultimo decedenti propior sit gradu, ex proximitate lineæ ad lineam primogenitam preferatur, nec foeminarum hic ratio habeatur, nisi specialiter in aliquâ familiâ sit receptum, uti ex speciali privilegio hoc Familiae Archiducali Austriae convenit. LIMN. J. P. L. 4. c. 8. n. 108. Dixi notanter in Fideicommissio Familiae Simplici: Non enim nego Fideicommissum Familiae eo modo posse constitui, ut vel Senior in familiâ, vel Primogenitus tantum illo fruatur, & sic vel Primogenitura vel Majoratus qualitatem induat, sed de tali tantummodo est sermo, quod simpliciter & sine restrictione ad certam personam familie est reliquum, inter quod & jus Primogenituræ plures quidem

dem possent allegari differentiae, quas fusius adducit LVD.
MOLINA de Jus. & Jur. Tom. 3. Disp. 577. sed unicam hanc
ad discernendum discrimen inter hoc, & jus Primogeniturae
adduxisse sufficiet.

§. VII.

Quibus examinatis Juris Primogeniturae positivi differentiis, antequam ad ulteriora progrediar, preliminarem Quæstionem præmitendam duxi; *An Primogenitura ereditio expediens sit bono publico? & ag itati naturali consentanea?* quod absque ullâ hæsitatione affirmandum esse existimo, sequentibus ductus rationibus; quod primo boni publici ratio exigit, ut Illustres Familiae tanquam Reipublice fulera & sustentacula in suo splendorc conserventur. *Arg. Aur. Bull. C. 25.* hic autem familiarum splendor alii vix modis conservari possit, quam si abscissis omnibus alienationis viis opes familie penes unum maneant unita; dum è contra divisione bonorum eorumque permissa alienatio ita perspè labefactat Familias, ut numerosioribus descendantibus preter titulos, & famulos Antecessorum imagines vix aliquid remaneat. Cui *Secunda* accedit ratio, quod introducto Jure Primogeniturae corroboretur justitia; Hæc enim ut melius administratur ab uno regnante, ita à pluribus, qui in diversis non raro abeunt sententias, magnopere retardatur. Motivit hoc CAROLVM IV. in *Aur. Bull. C. 25.* ut Electoratum firmaret individuitatem. Noverunt hoc varia in Germania Illustris Familiae, que licet alias divisioni fuerint obnoxiae, separata Territorii commoditate, exercitium tamen Jurisdictionis in Seniorem solum transferebant, ut refert *LIMN. Jur. Publ. L. 4. c. 8. n. 122. seqq.* Facit *Tertio*, quod stante Jure Primogeniturae fideles subditi pace gaudeant & quiete, vid. *A. B. d. C. 25.* Quodsi enim Castra, Jurisdicçio, Districetus per unum tantummodo gubernentur, melius pax poterit conservari, & contra vicinos Dominos, & alios extraneos invasores tanto fortius defendi, quod fieri non posset, si in se ipsa essent divisa; facta enim divisione una pars subditorum uni, altera alteri adhærebit Domino, & tan-

te

tō terra ad se contra extraneos adversarios defendendam erit debilior, quantō, si unita foret, ad fortiter & viriliter se defendendam esset habilior. Denique crebra hæ divisiones subditis sunt perquam onerosæ, quoniam illis admisis multiplicantur Domini, Tribunalia, Familiae, Officiales, & Ministri, & cum his exactions, contributiones, & collectæ, ut proinde doccat CRAVETTA Conf. 624. n. 19. subditos propterea posse infare, ne Principatus dividantur. Et quamvis non leve liberis damnum inferri videatur, si non aequaliter ad parentum successionem admittantur, publicum tamen & commune interesse, quod hic cum nonnullorum & particularium interesse concertat, huic merito erit præponendum. LIMN. ad A. B. C. 25. Obs. 3.

S. VIII.

Huic tamen assertioni grayiter obstare videtur primo, quod hac in unum collecta opum coacervatio propagationi descendentium possit obesse, adeoque splendorem Familiae magis minuere, quam conservare; dum enim omnes Familiae opes in Primogenitum conferuntur, & postea geniti tenuibus alimentis debent esse contenti, facile eveniet, quod secundo & tertio geniti deficientibus mediis ad sustentanda matrimonii onera requisitis ab incundo matrimonio arceantur, & vel Ecclesiasticum statum vel militarem vitam arripient, quibus stantibus, si Primogenito vel matrimonium improle obveniat, vel proles præmaturæ morte obeat, facilè familia, qua per plures stirpes conservari potuisset, extincta Primogeniti successione fatalem patietur occasum. Obstant Secundo Ipsæ Leges Justinianæ de Successionibus, quæ omnimodam inter liberos suadent æquitatem, culpantque simul eos, qui inter mares & foeminas inducunt differentiam Nov. 118. c. 1. quæ constitutio ab ipsa æquitate se commendat adeo ut quidquid huic contrarium, æquitati etiam naturali refragari videatur. Obstat tertio, quod in Regnis & Principatibus hoc modo frater fratris temere videatur subjici potestati, cui tamen natura æquale tribuit jus imperandi. Cui accedit, quod inæqualis fratum

fac-

successio radix sit discordiarum, litium, & invidiæ, sicut æqualitas dicitur fovere concordiam L. 17. C. de Collat. Cum autem jus Primogenituræ inducat talem inæqualem fratrum successionem, generare etiam videtur emanantes exinde litiges, & discordiam, quæ tanquam crimen pessimum in sacris notatur paginis Proverb. 6. v. 16. & 19. ubi dicitur: *Sex sunt que Deus odit, & se primum detestatur anima ejus, nimisrum eum, qui seminat inter fratres discordiam.* Ex quibus Jus Primogenituræ communi bono nocivum, ac injustum, reprobandum potius videtur, quam approbandum.

§. IX.

Sed hæc, & similia minime possunt obstatre Juri Primogenituræ. Et *primum* quod attinet, Jus Primogenituræ non impedit descendientium propagationem, si reliquis fratribus in casum contrahendi matrimonii ex proventibus Feudi Regalis, vel aliis bonis Primogenituræ subjectis ita propiciatur, ut statui suo convenientia possint inire matrimonia, ex quibus progenita proles defectum descendentiæ in linea primogeniti supplere possint. Nec *secundo* obstant Leges Justinianeæ, nam alia in privatâ successione, ubi spectatur potissimum suum cuique tribui, alia in Familiis Personarum Illustrium, inter quas Jus Primogenituræ potissimum viger, est successionis ratio; in his enim magis splendor Familiaæ, & subditorum tranquillitas consideratur, cum in publico fatus populi suprema lex sit, per divisiones autem, & subdivisiones, ut supra jam insinuatum, patrimonium ita sensim diminuitur, ut in nihilum tandem redigi sit necesse. Vilescent namque crebrâ divisione illustres Familiaæ, & præter nomen dignitatis tandem nil retinent. arg. L. 2. C. quando & quib. quart. pars. TIRAQVELL. de jure Primog. q. 3. Subditorum adhæc interest, pluribus non subjici Dominis, juxta vulgatum illud: *Sole necor solo, quid erit si creverit alter?* SCHV TZ. de Vicar. Imp. tb. 25. cum quibus concordat illud Matth. 6. v. 24. Luc. 16. v. 13. *Nemo potest duabus Dominis seruire.* Imo divisis Principatibus, & sic facultatibus, & viribus decrescentibus ipsorum etiam Principum

potes^tas & authoritas decessere incipiet, Regnumque in se divisum desolabitur. *Lut. ii. Can. Si ea. 4. C. 25. q. 2.*
 Et quia natura unius quasi docet Principatum, *Can. In apibus 41. c. 7. q. 1.* divisio & multitudo naturae inimica & adverfa videtur. Nec sine mysterio ordinatum, ut in una familiâ unus sit paterfamilias, unicum Provincia praefidem habeat, ab uno Rege gubernetur Regnum amplissimum, exercitus validissimus uni pareat Duci, unus sit omnium Imperator, & Monarcha. *HERMES Fasic. Jur. publ. c. 18. q. 1.*
 Sic Esau, & Jacob, licet iisdem essent geniti parentibus, ex illis tamen Divina Providentia alterum voluit imperare, alterum hæredem esse Primogenituræ. *Gen. 25. v. 33.* Vnde nec tertio conqueri poterit propterea secundogenitus, nisi ordinem natura velit incusare. Nec denique fratrum discordia obstat poterit Juri Primogenituræ, cum experientia teste major soleat esse discordia, si plures succedant fratres, simulque regnent, quam si unus reliquis præponatur; Est enim potestas consortis impatiens, sicutisque Comes discordia Regnis. *arg. l. 77. §. Dulcissimis fratribus ff. de Legat. 2.* Sic Roma, ut condita fuit, duos fratres simul habere reges non potuit, & parricidio dedicatur, *d. Can. 41. c. 7. q. 1.* nec Calaram simul & Pompejum, quod & plura alia evincent exempla; Imò adhuc in utero Rebeccæ bella gesserunt Jacob, & Esau *Gen. 25. v. 22.* Melius itaque pax conservatur in uno regnante, quam in pluribus, firmiorque manet terra, si per unum regatur, & indivisa maneat, quam si per portiones in plures distribuatur. *Cap. 8. x. de prabend. quod cum per jus Primogeniturae contingat, mirum non est, quod KLOCK. Tom. 3. c. 182. n. 130. RVS DORFF. in Vindic. cauf. Pat. c. 4. 5. pluresque alii Jus Primogeniturae ex Jure naturali, & Divino positivo universali derivari statuant.*

SECTIO

SECTIO II.

Quibusnam in locis Jus Primogeniturae sit introductum, & quid requiratur, ut de novo in familiâ aliquâ Illustri possit introduci?

§. I.

A Deo autem se se exerit publica Juris Primogeniturae utilitas, ut plerisque etiam exteris gentibus hic succedendi modus aequissimus, & ad conservanda Imperia accommodatissimus semper fuerit visus; uti de Persis, Aegyptiis, Macedonibus, aliquique compluribus testatur TIRAQVEL. in Praefat. de jur. primog. PFEFFING. ad Vitriar. Tom. 3. L. 3. tit. II. §. 2. lit. b. n. 2. Quid autem in Germania quoad successiones Personarum Illustrium obtinuerit antiquitus, variè disceptatur inter DD. præsertim GOLDASTVM inter & ENGELBRECHTVM, cuius rei summam exhibet ITTER. de feud. Imp. c. 13. §. 9. Et notum quidem est, plerasque Statuum Imperii Ditiones Feuda esse Imperii Regalia, quoad hæc autem jam circa annum 1150. editam esse à FRIDERICO I. Imperatore Constitutionem, qua exhibetur 2. F. ss. §. Præterea ubi inquit Imperator: Præterea Ducatus, Marchia, Comitatus de cetero non dividantur, aliud autem feudum, si consortes volenter, dividatur &c. quam Divi Imperatoris Constitutionem plerique DD. de unius & quidem primogeniti successione interpretantur, inter quos etiam est ROSENTHAL. de Feud. c. 9. membr. 1. c. ss. lit. f. ut adeò jam ab eo tempore Jus Primogeniturae inter familias Illustres Germaniae introductum fuisse videatur. Verum hæc FRIDERICI Imperatoris Constitutio, licet divisionem Feudorum Regalium prohibeat, exinde tamen non sequitur, soli Primogenito præcisè illud feudum esse relinquendum, cum ab individuitate

feudi ad jus Primogeniturae non statim licet argumentari, quoniam & à pluribus res pro indiviso possideri potest, 2. F. 20. §. Omnes filii, vel ab uno nomine omnium administrari. LIMN. *Jur. Publ. L. 4. c. 8. n. 120.* HORN. *Jurispr. feud. c. 15. §. 18.* Adhuc dicta constitutio FRIDERICI, ut in Italia fuit promulgata, ita & pro Regno solum Italie ab Imperatore tanquam Rege Italie latam eam fuisse non improbable est, adeoque Principes Imperii non obligasse, de quo vid. CÖRNING. de O. I. G. c. 25. pag. 150. quamvis HORN. *Jurispr. feud. c. 1. §. 25.* non dubitet eandem etiam Germanos strinxisse, coquod praesentibus, & consentientibus Germanie Primiatis bus fuerit promulgata. Sed quidquid sit, illud saltem certum est, si dicta constitutio etiam pro Germania lata fuit, quod contraria rursus observantia fuerit abrogata, & divisio feudorum Regalium iterum usitata, quod plurimi testantur DD. ut MODEST. PISTOR. Vol. 2. *Conf. 50. n. 39.* ENGELBR. de Success. Illust. th. 78. COTHMAN. Vol. 5. ibique lacè allegati n. 67. ITTER. de feud. Imp. c. 13. §. 11. STRUV. Obs. feud. 1. c. 9. & plures alii. Nec uno eodemque modo fiebat Feudorum Regalium in Germania divisio, nec lege aliqua universalis illa definita fuit, sed secundum pacta familiae, & diuidentium placita suscipiebatur, neque, quod uni familia placuit, alii Legis instar esse potuit, Dn. à SEKENDORFF. Fürsten-Staat c. 3. n. 3. adeo ut in quibusdam familias soli & omnes masculi, in aliisque etiam foeminae ad feudorum successionem admitterentur; In nonnullis pro indiviso à pluribus feendum possideretur; In aliis feuda aequaliter dividenter, jus Comitiorum verò & Superioritatem territorialem uno omnium nomine administrante, prout exemplis illustrat LIMN. *Jur. Publ. L. 4. c. 8. n. 107. scqq.*

§. II.

Et hæc multiformis in Germania in Feudis Regalibus successio non solum inter Principes Imperii, Comites, & Barones fuit in usu, sed & inter ipsos etiam Electores erat usitata, donec CAROLVS IV. solemini Sanctione, quam *Auream Bullam* vocamus, Electoratum individuitatem firmaret, ac jus

ius Primogenituræ, & succedendi ordinem stabiliret, definiretque C. 7. 19. 2. in verbis: *Statuimus, & Imperiali auctoritate præfenti Lege perpetuis temporibus valituru& decernimus, ut, postquam idem Principes Electores seculares, & eorum quislibet esse desierit, Jus, vox, & potestas electionis hujusmodi ad filium suum primogenitum legitimum laicum, illo vero non extante ad ejusdem primogeniti primogenitum similiter laicum liberè, & sine contradictione cuiuspiam devolvatur.* Si vero primogenitus hujusmodi absque hereditibus legitimis laicis ab hac luce migraret, virrute presentis Imperialis Edicli jus, vox, & potestas electionis predictæ ad seniorum fratrem laicum per veram paternam lineam descendenter, & deinceps ad illius primogenitum laicum devolvatur. Et expressius C. 25. ubi habetur: *Si ceteros Principatus congruit in sua integritate servari, ut corroboretur iustitia, & subjecti fideles pace gaudent, & quiete, multò magis magnifici Principatus, Dominia, Honores, & Iura Electorum Principum debent illas servari. Nam ubi maior incumbit periculum, maior debet remedium adhiberi, ne columnis ruentibus basis totius adfici collidatur.* Decernimus itaque, & perpetuis temporibus valitru& Imperiali Edicto sanamus, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus insges, & Magnifici Principatus, videlicet Regnum Bohemia, Comitatus Palatinus Rheni, Ducatus Saxonia, & Marchionatus Brandenburgensis terra, districtus, homagia, vasallagia, & alia quavis ad ipsa spectantia scindì, dividì, aut quavis conditione dismembrari non debant, sed in sua perfecta integratitate maneat. Primogenitus filius succedit in eis, sibiique soli jus, ac dominium competit, nisi forte mente captus factus, seu alterius famosus, ac notabiliti defectus existaret, propter quem non deberet aut posset hominibus principari. In quo casu inhibita sibi successione secundo genitum, si fuerit in ea progenie, seu alium seniorum fratrem vel consanguineum laicum, qui paterno stipiti in descendenti linea rectâ proximior fuerit, volumus successorum &c. que ipsius Aureæ Bullæ verba, cum ad nonnullarum quæstionum sequentium decisionem facere videantur, hic apponere non incongruum duxi.

§. III.

Cujus Imperatoriae Sanctionis intuitu statim exoritur

questio: An haec A. B. dispositio in Electoratibus Jus Primo-
geniturae firmans, etiam ad alias Electorum Ditiones, cetero-
que Principatus pertineat? quod nonnullis affirmandum
videtur; Si enim in Electoratibus Primogenito hoc jus con-
cessum, cur eidem in aliis Principatibus denegandum? quod
Ipse CAROLVS IV. in allegato superius Cap. 25. in verbis:
ceteros principatus &c. statuere videtur, dum à minori ad ma-
jus argumentum dicit; & licet de Electoratibus tantum sit
d. A. B. dispositio, eadem tamen ob idenditatem rationis ad
alios etiam Principatus poterit extendi. His tamen non ob-
stantibus verius contrarium, quod nisi specialiter quoad alias
Electorum ditiones jus Primogeniturae sit receptum, illæ
æqualiter inter Electoris liberos sint dividenda, & quidem, si
bona sint allodialia, inter masculos & feminas, si feuda pro-
pria, inter omnes filios masculos. Qua sententia, uti noto-
riæ Germaniae consuetudine probari dicitur à VULTEJ. 2. F.
c. 8. n. 36. GAIL. L. 1. O. 153. ita & rationibus non destituitur;
Nam sicut Aurea Bulla de Electoratibus solum loquitur, ita
& tanquam Lex correctoria, utpote contra communem
Germanie consuetudinem lata, adeoque stricti Juris, strictè
erit interpretanda. Leges enim exorbitantes, quæ aliqui singu-
lare jus concedunt, & aliis admittunt, nequidem ob iden-
titatem rationis patiuntur extensionem. FRANZ. Tit. de LL. n. 58.
MASCARD. de Probat. Vol. 3. Concl. 1236. Nec verba initialia
d. C. 25. A. B. de quādam necessitate Legali, sed de congrui-
tate falso, non de exigentia, sed de expeditientia quādam
sunt acceptanda, quod ex aliis Imperii Constitutionibus A. B.
posterioribus colligere licet, quibus divisio Principatum,
Feudorumque Regalium antehac usitata confirmatur, ut in
Recess. Cow. Erfurt, de anno 1567. §. so viel dann 25. Recess. Imp.
Spirens. de anno 1570. §. wann dann sey 40. Recess. Imp. Ratisb.
de anno 1576. §. bey Berathschlagung 99. Adhac speciale Im-
peratoris indulxum hodie non requireretur si Principes Imperii
Jus Primogeniturae introducere velint, si provisione Aureæ
Bulla satis securi essent; precibus enim impetrari non debet,
quod ipso Jure conceditur. VITRIAR. Inst. Jur. Publ. L. 3.
tit.

tit. 20. §. 40. Ex quibus abunde patet, quod, licet jus Primogeniturae in Electoratibus per Auream Bullam firmatum, quoad alios tamen Principatus & Feuda Regalia non admittat extensionem, nisi specialiter jus Primogeniturae in hujusmodi Principatibus fuerit introductum.

S. IV.

Varis autem modis Jus Primogeniturae introduci posse, ex datâ superius *Sectione I. §. 3.* definitione, seu descriptione potius Juris Primogeniturae positivi constare poterit; Lege scilicet, Consuetudine, Statuto, aut Pacto Familiae, vel Testatoris dispositione. Lege seu Pragmaticâ Sanctione Jus Primogeniturae in Electoratibus fuisse introductum paulò ante dicta declarant. Idem consuetudine fieri posse negari vix poterit, cum, quidquid per Legem scriptam statui potest, etiam Lege non scriptâ seu consuetudine introduci valeat; imò *GOLDASTVS de Majoratu L. 2. c. 15. seq. & L. 3. c. 15.* probare co-natur, universalis Germaniae consuetudine Jus primogeniturae in familiis Imperii Illustribus fuisse receptum. conf. *SCHILT. ad Jus Aleman. feud. c. 52. 60. & 61.* Quod Statutis, vel Pactis Familiae hoc Jus possit introduci, varia docent exempla, quorum nonnulla refert *PFEFFING. ad Vitriar. L. 3. tit. 20. §. 40. 42. & seqq. BETS. de Paet. Fam. Illustr. c. 9.* Sic in Ducatu Württembergico, Ducatu Brunsvicensi, Landgraviatu Hassiae Lineæ tam Cassellanae, quam Darmstadiensis, in Comitatu Hannovia, & Comitatu Holacheo Weickersheimensi, & pluribus aliis Familiis Illustribus Jus Primogeniturae Statutis, & Pactis Familiae est introductum, ut adeò in dubium vocari non possit, quin ejusmodi pacta, quantumvis successoria, & eapropter Jure Romano prohibita, in Germaniâ tamen semper pro validis agnita fuerint, cum rationes, quæ Romanos Legislatores ad invalidanda ejusmodi pacta commoverant, integratati Germanie non conveniant *LIMN. Jur. Publ. L. 4. c. 8. n. 149. seqq.* Atque ita Jure Romano in foris Germanie recepto, antiquæ Germanie consuetudines in aequitate potissimum naturali fundatae, & inveteratae observantiae, vi quarum ejusmodi pacta pro validis habebantur, jam ante

recce.

receptum Jus Romanum vigentes, haudquam fuerint abrogatae, sed in suo semper manerint vigore. Minus ergo dubitandum est, quin jus Primogeniturae per dispositionem ultimae voluntatis possit introduci, cum & fideicommissa perpetua Familiae, quæ magnam cum hoc jure affinitatem habent, Jure Romano testamento constitui potuerint. vid. L. 32. §. 6. ff. de Leg. 2. Ut adeò Statibus Imperii hoc non sit abnegandum; Atque sic in Ducatu Bavarico per testamentum Ducis Alberti anno 1573. erectum fuisse Jus Primogeniturae testatur REINKING. de Regin. Sac. & Eccl. Libr. 1. Clas. 4. c. 17. §. 30. In Ducatu Saxo-Naumburgensi per testamentum Ducis Mauriti de anno 1681. In Ducatu Saxo-Isenaciensi per testamentum Ducis Joannis Georgii anno 1685. In Ducatu Saxo-Merseburgensi per testamentum Ducis Christiani anno 1688. In Comitatu Frisiae Orientalis per testamentum Comitis Ezardi Eberhardi Wilhelmi anno 1690. hoc jus introductum fuisse refert LVNIGIVS part. spec. des Reichs-Archivs, Contin. 2. Sect. 4. art. 2. § 24. pluraque exempla allegantur à GOTHEM. Vol. 5. R. 1. n. 281. SPRINGSFELD. de Appanag. C. 3. n. 57. C. 5. n. 40. KNIPSCHILD. de fideicom. fam. c. 9. n. 286.

§. V.

An autem, si Status Imperii in sua ditione Jus primogeniturae vel statuto, vel pacto familiae, vel ultimæ voluntate introducere velit, Consensus Imperatoris, & aliae adhuc solennitates requirantur? questio est admodum controversa, quæ distinctione erit terminanda, in Allodialibus, an in Feudalibus ejusmodi ordinanda sit dispositio. In Feudis enim maximè ex pacto, & providentiâ talibus, quod præter alia consensus Domini directi, adeoque in feudis Imperii Imperatoris consensus requiratur, ut jus Primogeniturae possit introduci, res videtur esse expedita, cum dispositio Vasalli tam testamentaria, quam inter vivos taliter sit restricta, ut ea in præjudicium Domini non valeat, & sic nullo etiam modo vasallo liceat absque Domini directi consensu naturam feudi pro suo arbitrio immutare. Arg. 2. P. 18. 12. Unde precibus confirmatio Cesarea, seu privilegium introducendæ primogeniturae

tura impetrandum, certa quoque Taxa pro diversitate Feudi Regalis Cameræ Imperiali venit exsolvenda, quam exhibet STRYK. in Appendix Exam. Jur. Fend. sub n. 5. pag. 474. seq. Sed de his in sequentibus §§. In Allodialibus vero ad introductionem Juris Primogenituræ confirmatione Cæsareæ opus non erit, in his enim cum unicuique sit de iisdem quocunque modo disponendi potestas, eadem nec Statibus Imperii poterit denegari, qui in iis, quæ allodiali jure possident, deterioris non debent esse conditionis, quam privati. vid. REINKING. de Regin. Sac. & Eccl. L. 1. Clas. 4. c. 17. §. 77. GROT. de Jur. Bell. & Pac. Lib. 1. c. 3. §. 12. LIMN. Jur. Publ. Lib. 4. c. 8. n. 132. 133. & 156. Quæ tamen libera Statibus Imperii de omni allodio testandi, vel inter vivos disponendi facultas eatenus tantum est extendenda, quatenus ejusmodi dispositio Pactis, Legibus, Statutis, vel Consuetudinib[us] non est contraria. VITRIAR. Inst. Jur. Publ. Lib. 3. tit. 20. §. 17. ibique PFEFFINGER. in annotat. lit. c. Hinde si introduc[t]o Jure Primogenituræ liberorum ultragenitorum Appanagium Legitimæ Jure civili determinata non respondeat, sed congrua saltē pro ratione statū alimēta contineat, eatenus non valere tales dispositiones certum videatur, nisi à Sacra Cæsare Majestate fuerit confirmata. Cæterum licet consensus Imperatoris ad Jus Primogenitura in allodio introducendum necessariò non requiratur, si reliquis liberis Legitima maneat salva, utiliter tamen semper adhibetur, præfertim si pactis familie Jus Primogenituræ sit introducendum, cum major ejusmodi dispositiōnē validitas accedere credatur, si Imperiali confirmatione corroboretur, siveque ejusmodi conventiones, aut Partea familiæ non tam facilè dissolvi possint, aut revocari.

§. VI,

Ad hoc autem, ut in Feudo Imperii divisioni alias obnoxio Jus Primogenituræ possit introduci, plures requiri solennitates insinuat modò præcedenti §. de quibus vid. BERT. de Pac[ti]o. Fam. Illusfr. C. 9. qui sequentia tanquam necessaria enumerat requisita: Primò, ut Vasallis ejusdem Feudi consentientibus fiat; Sic illud à FRIDERICO & WIL-

C

HEL.

HELMO Ducibus Fratribus in Familiâ Brunsticensi erectum fuit. Secundo, ut fiat nondum natis liberis. Tertio, ut praecedente communi ordinum Ecclesiastici, Equestris, & Civilis tractatu, & deliberatione in Diatâ Provinciali auf dem Landtag erigatur ejusmodi Statutum. Quartio, ut subditi prominent se non præstituros juramentum fidelitatis, & subiectonis alteri, quam Primogenito, neque ante, quam is in publico Ordinum Conventu sanctè promiserit, se hoc Statutum, Pactum, aut Conventionem in omnibus suis punctis tenaciter observaturum. Quinto, ut inter Hæredes, & Successores sepius renoventur hujusmodi Statuta, & Conventiones. Sexto, ut minoribus fratribus in utrumque casum tam contrahendi, quam non contrahendi matrimonii ex proventibus Feudi Regalis, vel aliis bonis Primogenitura subiectis ita prospiciatur, ut sui rationem aliquam habitam à Majoribus animadvertant. Septimo, ut hujusmodi Statuta, seu Conventiones non tantum juramento pacientium, vel statuentium confirmetur, sed etiam, ut ab eorum hæreditibus renovations sub eodem juramenti vinculo fiant. Octavo, ut ab Imperatore scientibus & consentibus Imperii Ordinibus in Imperialibus Comitiis confirmetur, eadem confirmatio à subsequentibus Imperatoribus sepius renoveretur, & ut succedat aliorum quoque Dominorum confirmatio, si Feuda ab aliis dependentia comprehensa sint sibi Regali titulo. Hæc BETS. d. Tr. pag. 708. seqq.

S. VII.

Ad mihi cum LIMN. Jur. Publ. L. 4. C. 8. n. 121. PFEFF. FING. ad Vitrar. L. 3. Tit. 20. §. 40. lit. A. in fin. & aliis, pleraque quidem allata ex BETSIO requisita utilia, paucissima verò necessaria videantur. Et solum Imperatoris tanquam Domini directi consensum, & in Feudo antiquo etiam Agnatorum sufficere judico. Si enim ad validam Feudi alienationem præter consensum Domini Directi & Agnatorum nil requiritur, non puto plus ad Jus Primogenitura introducendum posse requiri, cum ibi Feudum transeat extra Familiam, omnisque pereat spes succedendi, hic verò maneat, filiis.

filiisque ultragenitis eventualis faltem spes, si scilicet Primo-
genitus sine hereditibus moriatur, ad successionem sit salva,
ut adeo liberorum jam natorum consensus non sit necessa-
rius. arg. 2. F. 9. 1. F. 18. 1. F. 8. §. Hoc quoque. ubi habetur,
alienationem feudi tam diu subsistere, quamdiu, alienans &
eius descendentes superfunt; unde patet, patrem in feudo
liberis posse præjudicare, nec hos facto patris posse contra-
venire. Nec *Obflat*, quod liberi ex pacto primi acquirentis
jus ad æqualem in feudo successionem habeant, quod jus
ipsis invitis Pater non possit afferre. Nam cum liberi omne
jus habeant mediante patre, utique & ejus dispositionem
agnoscant, necesse est, quod & ipsum reverentia parentibus
debita suadere videtur. Ast licet de hoc plures dubitent
DD. in eo tamen plerique convenient, quod, si Imperator
qua talis, & quidem ex plenitudine potestatis consensum
fiuum interponat, firma sit Juris Primogeniturae introductio,
cum sic liberis etiam jam natis, & invitis possit præjudicare,
ut ipse facetur BETS. d. C. 9. p. 329. SPRINGFELD. de Ap-
panag. C. 5. n. 28. MENOCH. Conf. 158. n. 40. BESOLD. P. 4.
c. 148. n. 48. Toties autem Summus Princeps uti potest
plenitudine potestatis etiam in præjudicium tertii, quoties
id exigit publica utilitas. arg. L. 5. §. f. ff. de injur. L. 14. C.
de Oper. publ. GROT. de Jur. B. & P. L. 1. C. 2. §. 6. Cum ergò
per Jus Primogeniturae publica utilitas non parum promo-
veatur, ut demonstratum supra Sectione I. §. 7. seqq. Hinc ac-
cedente Imperiali confirmatione etiam liberis jam natis & in-
vitis hoc Jus poterit introduci. Si itaque liberorum jam na-
torum consensus non tam strictè requiratur, quorum tamen
maximum versari videtur præjudicium, satis, ut opinor, col-
ligere licet, quid de alis supra ex BETSIO adductis requisitis
sit sentiendum. Consensum Statuum Imperii quod attinet,
de eo legi poterit. ITTER. de Feud. Imp. C. 12. §. 12. pag. 632.

SECTIO III.

*Quis sit ordo succedendi secundum
Jus Primogenituræ.*

§. 1.

Examinatis requisitis ad introducendum Jus Primogenituræ necessariis, connexionis ratio postulat, ut quis Jure hoc legitimè in Familiâ introducto ad successiōnem sit vocandus, subiectiatur. Soli autem, si extet, Primogenito præ omnibus aliis successionem competere, partim ex allatis superiori Sectione 1. constat, partim ipsum Primogenituræ vocabulum satis innuit. Unde præviè erit examinandum, quis pro Primogenito sit reputandus? Et talis est, qui primò est natus, et si nullus eum sequatur, Primus enim est, ante quem nemo est, non tantum, qui ante aliquem est. L. 34. pr. ff. de Vulg. & Pupill. subl. & proximus dicitur, qui solus est. L. 153. ff. de V. S. uti è contrariò supremus, post quem nemo est, intelligitur. L. 9. ff. de Reb. dub. L. 92. 185. & 162. de V. S. Nec refert, natus sit antequam pater creatus Princeps, Elector, aut Rex, sive post adeptam jam Principis, Electoris, aut Regis Dignitatem. arg. L. 5. ff. de Senat. ubi is, qui ante Patris Senatoriam Dignitatem natus est, dicitur esse filius Senatoris. vid. L. 14. ff. de Pæn. L. 2. §. 2. ff. de Decur. quarum Legum decisio suis fulcit rationibus; Qui enim Patri nascitur, ex momento consequitur Jus aliquid evenuale succedendi in omnia Jura patris, adeò, ut quidquid Dignitati Patri postea superveniat, illius commodum quoque ad Filium pertineat. COCCÆ. in Lect. ad Grot. L. 2. C. 7. §. 28. Atque hoc etiam in Regnis, & Principatibus obtinere Gentium exemplis probat GROT. ad l. HOTTO MAN. Illasq. quæst. 2. TIRAQVELL. de Jur. Primog. q. 31. & plures alii. Capit namque Filius ante natus, Patre postea creato Rege, statim esse Filius Regis, procul dubio regnaturus, si nulli liberi postea suscepisti essent, quo jure eum, propter natum adhuc filium, privare absurdum foret. HERMES Fasic. Jur. Publ. C. 18. q. 4.

No. II.

¶ II. ubi plures aciducit rationes. Adhuc quoad Electores, aliosque Status Imperii haec accedit ratio, quod Hi jure primæ, & simultaneæ investituræ succedant, per quam nato jam Filio præ aliis nascendis jus ad successionem acquiritur, quod eidem sine juris autoritate afferre temerarium foret. Hancque sententiam in Imperio Rom. German. firmat ob servantia, optima Legum interpres. Sic Christiano I. Elec tori Saxonie successit in Electoratu Senior Filius Christianus II. Patre nondum Electore natus, quo mortuo demum admisus fuit Joannes Georgius ad Electoratum, Patre Christiano I. iam dudum Electore natus. *COLER. de Jur. Imp. Germ. Sect. 32.* plura exempla recenset HARPRECHT ad §. pen. *J. de Hared.* que ab intest. n. 150. Et licet Ottone III. anno 937. ab Hilderico Electore Moguntino jam consecrato Frater ejus Henricus turbas moverit, ex hac ratione, illum Ducem, se Regem natum esse, per hoc tamen Henricum nil efficiisse notum est. Quod cum in Regno aut Principatu à Patre primi usquis obtineat, in avito minus dubii remanere poterit, cum hic nepos, etiam Avo adhuc regnante, radicale jus ad Dignitatem, & Successionem habeat.

§. II.

Ut autem Jure Primogeniturae gaudeat Filius primò natu s, Naturalis, simul & Legitimus sit necesse est; quo ipso excluditur Adoptivus, qui licet Jure Civili pro legitimo habetur, id tamen solummodo quoad effectus civiles procedit, quorum Jus Primogeniturae minimè referendum. Et in Feudis quidem extra controversiam est, adoptivum ad successionem non admitti, estque Textus evidens 2. F. 26. §. *Adoptivus.* Feuda enim cum sanguini dentur, adoptio vero jus sanguinis non tribuat, L. 23. ff. *de Adopt.* merito etiam à successione excluditur Adoptivus. Ad hæc magnum & Agnatis, & Domino fieret præjudicium, cum huic invito alterius sanguinis obtruderetur Vasallus, contra textum 2. F. 12. & nunquam esset spes, quominus vel ad Dominum, vel ad Agnatos Feudum reverteretur, aut perveniret, STRUV. S. J. F. C. 9. Th. 5. quod absurdum esse ait VULTEJ. *de Feud.* L. 1. c. 9. n. 90.

Idem quoque in Feudis Imperii obtinere tradit ITTER. C. 14.
 §. 8. cui suffragatur Cap. 7. *Aurea Bullæ sup. alleg.* in verbis: *Per
 veram paternam lineam descendentem &c.* Et licet Adoptivos
 eo casu ad successionem admittat STRYK. Exam. J. F. C. 15. q.
 f. si & Dominus Directus, & Agnati in adoptionem consentiant,
 sic tamen non ex Jure Primogeniturae ipsis ex adoptione
 ne questo, sed ex solo & novo Domini Beneficio ad Feudi
 Successionem venient,

S. III.

In Regnis autem nullo Feudali nexus obstrictis aliud for-
 tè dicendum, cum allegata rationes, quæ Adoptivum à
 successione Feudali excludunt, nequeant huc applicari; In-
 super tot extant omnium Gentium Exempla, ubi sapiens
 Adoptivos successisse legimus, ut contrarium vix tutu-
 ri posse videatur. Sic JULIUS Cæsar AVGUSTVM, AVGU-
 STVS TIBERIVM, HIC CALIGVLAM, CLAVDIVS NERONEM,
 GALBA BISONEM, LUDOVICVS Hungariae Rex sine liberis
 decedens ejus ex fratre nepotem CAROLVM SIGISMUNDVM
 Imperatorem adoptavit, uti & JVSTINIANVS Imperator à
 JVSTINO adoptatus ejus ex sorore filius, ipso vivente Impe-
 ratore socius Cæsar, & successor adscitus est. Sed nec hic
 ullum Adoptivo jus ad successionem competere verius est.
 Nam cum populus desert Regnum Principi præsumitur vo-
 luisse, ut Regnum stet inter eos, qui descendunt ex primo Re-
 ge; Ea enim Familia ob nobilitatem electa censetur, eaque
 unitate Regnum redire ad Populum. Et nobilitas generis verè
 Regii magis reverendos efficit Reges, majorque de eis spes
 concipitur. GROT. de Jur. B. & P. L. 2. C. 7. §. 15. seq. Hi
 enim præsumuntur Paternarum virtutum fore Imitatores,
 quod de Adoptivis dici haud potest, cum Sanguis Regius,
 consequenter etiam virtus Regia, ut refert PRIOL. L. 12. Rer.
 Gallic. in alienigenas venas non transfundatur. Nec obstant
 allata superiori exempla, cum ibi tacitus saltet populi con-
 sensus Adoptivos ad successionem admiserit. Distinguunt
 quidem GROTIUS d. L. §. 12. inter Regna, que pleno modo
 possidentur, & in patrimonio sunt, qualia plerumque sunt ea,
 quæ

quæ armis quæsita. Et inter ea, quæ modum habendi accepterunt ex populi consensu; In his excludit Adoptivum à successione, in illis autem admittit, illucque refert allegata Exempla, quam sententiam etiam amplectitur HERMES. *Fascic. Jur. Publ. C. 18. q. 7.* Rejecit tamen COCEJ. *Jur. Contr. ff. itt. de Adopt. & Emancip. quæst. 10. in f.* hanc distinctionem, omne Jus Regnandi non tam ex Successione, quam tacitâ quâdam Electione Populi in successionem liberorum consentientis provenire statuens, negansque dari merè patrimoniale Regnum, quod non sibi initium ex populi consensu habeat. At cum hæc quæstio alitionis sit indaginis, nec hujus proprietati loci, hinc meum desuper suspendo judicium, eamque aliis decidendam relinquo.

§. IV.

Sed porro non sufficit ex Primo Acquirente descendere, sed necessarium etiam est, id factum esse Legitimè sive per Justum Matrimonium. A. B. *Cap. 7. §. 2.* Unde nec in Regno non feudali admittendi sunt liberi Naturales tantum, quia ad contemptum patent, quorum matrem justo coniugio Pater non est dignatus, ac præterea minus certi habentur naturales, num ex Patre Rege sint procreati, nec ne. At in Regnis expedit populo habere omnimodam certitudinem, quæ haberit potest ad vitandas controversias GROT. d. C. 7. §. 16. quâ de causâ Macedones Demetrio quinquennio minori potius, quam Perseo natu majori Regnum deberi existimarent, eoque Demetrius, iuliæ matrefamilias natus, Perseus vero pellice ortus esset, ut refert LIVIUS L. 39. Et apud OVIDIUM legimus: *Et ne nupta quidem, taddaque accepta jugali, cur? nisi ne caperet Regna Paterna notbus.* Quod & in Feudis obtinere dubio caret, estque in Jure Feudali clarè dispositum per Textum 2. F. 26. his verbis: *Naturales filii, licet postea siant legitimi, ad successionem feudi nec soli, nec cum aliis admittuntur.* Ex quo Textu fatig colligi potest, quod, licet naturales de Jure Civili matri succedant, L. 2. 8. ff. Unde cogn. Jure tamen Longobardico à successione planè excludantur, etiam si Feudum sit Fœmininum ob generalitatem d. §. *Naturales, ubi sim.*

Impliciter legitima nativitas in Feudis requiritur. STRUV.
C. 9. tb. 3. n. 7. Et sic nec ipsi deficientibus liberis, nec nati ex
ipsis licet legitimè ad successionem admittuntur. SCHRAD.
de Feud. P. 7. C. 5. n. 20.

§. V.

Sed nec Legitimi ad successionem feudalem Jure Longobardico sunt admittendi, prout clarissima dicti §. Naturales, verba: *Licet postea fiant legitimi satis iuuunt.* Et quamvis CVIAC. 4. F. 12. STRVK. de Success. ab intit. C. 2. art. 2. §. 22. HOPP. ad §. 13. J. de Nupt. circa fin. aliquie complures hæc verba ita conentur explicare, ut legitimatos post delatam successionem à successione repellendos putent, non eos, qui ante delatam successionem natalibus sunt restituti, idque ex verbo, *postea*, colligi posse autem, violenta tamen nimis est hæc interpretatio, quæ ipsam Juris Longobardici decisionem otiosam redderet; Si enim de illis, qui post delatam jam successionem legitimati sunt, Feudiſta locutus fuisset, frutra sane illos excludendos pronunciäſſer, utpote qui tempore mortis nondum legitimati, adeoque inhabiles à delata successione jam fuerunt exclusi, aliusque Feudi successoribus jus jam perfecte est quæſitum, quod isdem auferri amplius non potuisset. Reclius ergo hoc vocabulum *postea* intelligendum, si post Nativitatem legitimantur; quo posito nihil profecto interest, an per Rescriptum Principis, an per subsequens Matrimonium legitimantur, ut rectè concludit HORN. Jurispr. Feud. C. 15. §. 3. in med. VULTEI. de Feud. L. 1. C. 9. n. 94. BITS. Com. Jur. Feud. P. 412. seq. BERG. Resol. LL. obſt. p. 28. LOCAMER. Feud. Quaſl. 58. LIMN. Jur. Publ. L. 3. c. 7. n. 18.

§. VI.

Et quoad Legitimatos per Rescriptum Principis plerique quidem consentiunt DD. eos à successione Jure Longobardico repelli, ast quoad Legitimatos per Subsequens Matrimonium magno numero resistunt, & vix non uno ore eosdem ad Feudi successionem Jure Feudali admittendos pronunciant, Impugnantes primo rationem Juris Feudalis alias

alias allegari solitam, quod nimurum illegitimi honeste in Curiâ Domini stare non possint, ob maculam ex nativitate contractam, quæ tamen macula tollitur per subsequens matrimonium. Cap. Tanta b. x. qui fil. sint legit. adeoque cessare videtur decisio Juris Feudalis ejus ratione cessante, juxta illud: cessante ratione Legis cessat etiam Legis dispositio. Sed recte advertit VULTEI. d. l. quod, licet vulnus natalium hoc modo sanetur, maneat tamen naturalis cicatrix, cum certum sit eos semel illegitimos fuisse. Sed Obstant Secundū, Jus feudale admittere interpretationem extensivam ex jure Communi juxta Textum 2. F. 1. ubi dicitur: *Strenuus autem Legisperitus, sicuti casus emerferit, qui Consuetudine Feudi non sit deprehensus, absque calunnia uiri poterit Legi scriptā adeoque etiam dispositio Juris Canonici cit. Cap. Tanta & Juris Civilis Nov. 89.* ubi Legitimatus per subsequens matrimonium in omnibus pro legitimo habetur, & ad successiōnem admittitur, etiam ad Feuda applicari posse. Sed facili est respnsio, quæ ex ipsis citati Cap. verbis sponte fluit: cum enim casus hic Jure Feudali Longobardico clarè per Textum sup. cit. 2. §. 26. jam sit decisus, frustra hujus decisio ex Jure Communi petitur, unde nec obstat Nov. 89. C. 8. Cap. Tanta X. Qui fil. sint legit. plus enim in successione feudalī dispositio §. Naturales, quam Juris Canonici aut Civilis valere debet; ut patet ex perspicuis d. C. 2. F. 1. verbis: *Legum autem Romanarum non est vtilis autoritas, sed non adeo vim suam extendunt, ut usum vincant, aut mores intellige Longobardicos.* Sed Instat COCEI. Jur. contr. Tit. de His qui sui, vel alien. jur. quasq; 17. dictum §. Naturales non contrariari dispositiōni Juris Civilis, & per hunc §. intelligi solum Legitimatos per reascriptum Principis non etiam per subsequens Matrimonium legitimatos, utpote qui non legitimantur postea, sed mediante retrotradtione matrimonii retro à tempore nativitatis semper legitimati fuisse censentur; Sed novam certe d. §. Naturales, & vocabulo postea violentiam insert. Certum enim est, quod legitimati per Subsequens Matrimouium à tempore nativitatis non sint legitimi

D.

giti

gitimi, sed fiant demum post nativitatem, vid. sepe cit. Cap. Tana-
ra. ergo æquè ac legitimati per Rescriptum Principis à succe-
sione feudali per d. §. Naturales excluduntur, quod autem
taliter legitimati à tempore nativitatis pro legitimis fictione
Juris habeantur, hoc Juri Longobardico non officit, cum
fictione Juris ultra terminos illius Juris non possit extendi, &
operari, nec simplicitas Juris Longobardici talem fictio-
nem admittat; Et cum ipse COCCEJ. d. Q. in fin. admittat
in Regnis legitimatos per subsequens Matrimonium non
succedere, quia ibi non secundum fictiones Juris Civilis,
sed secundum veritatem successiones fiunt, non video, cur
non idem quoad successiones secundum Jus Longobardi-
cum sit dicendum.

§. VII.

Ut ut autem Legitimati à successione feudali Jure Lon-
gobardico arceantur, eos tamen admirerunt mores Germa-
niæ, adeò, ut tam legitimati per Rescriptum Principis, quam
per subsequens Matrimonium in Feudis succedere possint,
cum hoc tamen discrimine, quod legitimatus per Rescri-
ptum Principis non aliter succedat, quam si nulli alii liberi
legitimi, aut Agnati in Feudo antiquo ad sint, velhi saltē
consentiant, & Princeps ipse simul sit Feudi Dominus.
SCHRAD. P. 7. c. 5. n. 23. STRUV. C. 9. tb. 3. n. 9. STRYK.
Ex. Jur. Feud. C. 15. q. 39. seqq. Potest enim Princeps sibi
ipsi prejudicium facere non aliis invitatis, quibus Jus ex Pa-
cto primi acquirentis est queritum arg. L. 2. seq. ff. de Nar.
rest. HORN. Jurispr. Feud. C. 15. §. 3. Atque hinc etiam Ca-
farea legitimatio nil proderit illis, qui in Feudis à Statibus
Imperii Dependentibus succedere volunt, nisi adsit Domi-
norū consensus arg. Capit. LEOPOLD. Art. 27. & CAROLI
VI. Art. 20. Legitimatus vero per Subsequens Matrimoni-
um non solum, si solus est, sed etiam cum exclusione Agna-
torum ad Feudum admittatur. Et quidem si legitimatio
per Subsequens Matrimonium præcessit nativitatem alterius
filii legitimati, hic Legitimatus Jure Primogeniturae etiam po-
ste legitime genito præferatur, Legitimatio enim jus radi-
catum

catum tribuit ad successionem Primogenituræ, quod per subsequentem liberorum nativitatem ipsi non est afferendum. Atque taliter Legitimatos non solum in Feudis minoribus, sed & in Regalibus, & Feudis Imperii succedere tradunt DD. Juris Germanici peritissimi, inque Judiciis Imperii versatissimi, inter quos ROSENTHAL. de Feud. C. 6. C. 18. n. 10. MYLER. in Gamelog. Princ. Imp. C. 24. n. 2. Et plures alii quos sequitur, citareque IUTTER. de Feud. Imp. C. 14. §. 2. Idque Cameræ præjudicis firmat MYNS. Cent. 5. Olserv. 52. GAIL. Lib. 2. Obs. 141. n. 2. vid. TIRAQVELL. de Jur. Primog. q. 34. n. 54. In Marchia tamen Brandenburgicâ speciali Edicto cautum est, ne tales legitimi in Feudis succedant. STRYK. Ex. Jur. Feud. C. 15. q. 38.

§. VIII.

Quamvis itaque Legitimatos per subsequens Matrimonium hodie legitimis æquiparari, adeoque eos non minus, ac legitimi in Feudis etiam Primogenituræ succedere certum sit, ac indubitatum, non exiguum tamen remanet dubium, utrum etiam taliter legitimatus post intermedium demum matrimonium, ex quo natus jam est filius legitimus, & sic legitimatione subsequente nativitatem alterius filii legitimi, præ filio legitimè genito exate autem minori pro Primogenito sit habendus? priusquam autem dubium hoc resolvatur, Præliminaris quæstio erit discutienda; *An filius naturalis ante contractum legitimum matrimonium natus, mortuā primā uxore legitimus per subsequens Patris cum matre ejus conjugium non obstantibus liberis ex primo, & legitimo thoro natis adhuc legitimetur?* quod spectato Jure Canonico famosum præsertim Cap. Tanta 6. X. *Qui fil. sint, legit.* procul dubio erit affirmandum. Etsi enim Pater filium naturalem post contractas demum cum aliâ legitimâ conjugie nuptias, ex quâ jam suscepit filium legitimum, agnoverit, nec matri ejus nisi post obitum primæ uxoris nupferit, hoc intermedium tamen matrimonium legitimati filii naturalis minimè potest obstar; cum enim *cit. sup. Cap. Tanta* indistinctè filios naturales per subsequens Patris cum matre conjugium legitimos fieri assertat, merito nec nos

distinguere debemus, utrum intermedium fuerit matrimonium, nec ne. juxta Can. *Quodsi dormierit Caus. 31. q. 1.* sed regulæ tamdiu inhærere, usque dum exceptio ab illâ, vel contrarium probetur *L. 5. ff. de Probat. C. 2. de Reslit. spol. in 6.* ut benè advertit JOAN. ANDREAS in Reg. *Sine culpa de R. I. in 6. n. 2.* his verbis: *Constat, quod jus positivum, quod jubet per parentum matrimonium legitimari prolem, non distinguat, an faciat matrimonium intermedium, an non, sed hoc solum requirit, matrimonium inter parentes secutum - ubi autem jus non diliguit, nec nobis distinguere licet - satis ergo sit, quod matrimonium tempore contractum quo fuit, inter parentes fieri potuerit, nec nocet, quod tempore intermedio fieri non potuerit.* Ad ejus sui dicti confirmationem cit. Author 24. assert authoritates ex Jure Canonico, Digestis, & Codice depromptas, quas discutere longius foret, quibus hanc subjicit conclusionem: *Concludamus ergo, quod illud Jus legitimandi, quod habebant parentes, antequam alter contraheret, impedimentum pro tempore contractus reviviscat impedimento sublatu, & sic satis sit in principio, & in fine hoc licuisse - nec nocet tempus medium ad hoc.* Cui etiam assentit Cardinalis HOSTIENSIS in d. Cap. *Tanta dum dicit: Nota 2. quod jus istud non requirit, ut nullum matrimonium sit intermedium, scilicet inter nativitatem filiorum, & contractum matrimonium cum illâ muliere.* Et ex hoc inseritur, quodsi quis habens filios ex concubinâ, contrahabat cum aliâ muliere, & eâ mortua contrahabat cum concubinâ, quod filii legitimantur non obstante matrimonio intermedio. Nec existentia liberorum jam legitimè natorum, filii naturalis legitimati poterit obstat, cum hoc dubium per Nov. 12. C. 4. jam penitus sit sublatum.

§. IX.

Cum igitur negari haud possit, filium naturalem etiam post intermedias nuptias non obstantibus liberis legitimis adhuc per subsequens matrimonium legitimari, cum sufficiat duobus extremis, sive tempore conceptionis, & subsecuti matrimonii inter patrem, & matrem ejus potuisse constare matrimonium, in favorabilibus enim habitis extremis, de medio non curatur. arg. §. 6. J. Quib. mod. test. infirm. §. 4. J. de Ha-
red.

red. qual. & differ. Jam vero legitimati, & legitimi sint ita æquiparati, ut nulla legitimè genitis præ legitimatis competat prærogativa, L. 10. 11. seq. Autb. C. de Natur. lib. Nov. 12. C. 4. Nov. 89. C. 8. & iniquissimum esse dicat Imperator JVSTINIANVS, si filii legitimè geniti præ legitimato potius sibi jus vindicare velint, quem nullo habito discrimine vult eadem cum legitimè natus perfrui fortunā d. L. 10. C. de Nat. lib. Legitimitatio autem ad tempus, vel conceptionis, vel pactū, prout infantium conditionis utilitas expostulat, fictione Juris retrotrahatur, L. 11. in f. C. d. t. d. Nov. 89. C. 8. in f. ita ut à tempore nativitatis filius naturalis jam legitimus fuisse censatur, sanè legitimus aetate major præ filio legitimè genito hoc casu pro Primogenito habendus esse videri posset, uti concludit MANZ. ad Inst. L. 3. Tit. 10. n. 19. cui sententia adstipulatur GOTHOFRED. in Addit. ad Schneider. de Patr. potest. n. 22. COCCEJ. Jur. controv. Tit. de His qui sui vel al. jur. quest. 10. & 14. Idemque sentire videtur STRUV. Exercit. 3. tb. 50.

§. X.

His tamen non obstantibus uti communior, ita & ve-
rior est sententia, qua hoc casu legitimatum filio legitimè
genito postponit, huncque tanquam legitimato potiorem
pro Primogenito habendum censet, ex hac potissimum ratio-
ne, quia Ius Primogenituræ fundatur in primâ legitimâ nat-
vitate filii, ita ut primò legitimè natus ipso nativitatis mo-
mento radicale ius habeat ad Primogenituram, quod ipsi in-
vito sine suo factō per casum supervenientis matrimonii
cum priore concubinâ non potest auferri. Cum enim du-
plex ad Primogenituram qualitas requiratur, legitimatis sci-
licer, & prioris nativitatis, utraque autem in primò legitimè
genito concurrat, æquissimum sane erit, ut eidem Jura Pri-
mogeniti concedantur. Cui assertioni

Non obstat I. quod legitimatus, & legitimè genitus
omnimeæ æquiparentur, per d. Nov. 12. C. 4. Nov. 89. §. Re-
liqui Cap. Tanta X. Qui fil. sint. leg. Respondeo enim, æqui-
parantur quoad ius postea querendum C. quoad ius ipso na-
tivitatis exordio radicaliter jam quæsum N. Sed instant Ad-

versarii Jus Primogeniturae filio legitimè nato nondum perfectè esse quæstitum, sed esse in suspenso, usque dum certum sit naturalium liberorum matrem duci amplius non posse. Sed Resp. primò Hoc jus perfectè esse quæstitum patet ex paulò ante dictis, cum utraque in legitimè genito ad Primo-genituram requisita qualitas concurrat, legitimitas nimurum, & prior nativitas, quod utique de legitimato dici non potest, qui licet prior sit nativitate, hæc tamen prioritas non est considerabilis ob defectum alterius qualitatis legitimatis nimurum, quæ quamvis postea superveniat, verè tamen est tempore posteriori, alterius nativitate legitimā. Resp. secundò. Si hoc jus esset in suspenso, ergo ob tacitam conditio-nem, scilicet si filius naturalis antea genitus non legitimetur, conditio enim ponit jus in suspenso L. 1b. §. pen. ff. de Fidei j. L. 19. de Constit. pec. L. 13. §. p. de Pign. L. 21; ff. de V. S. Verū cum ejusmodi conditio, si expressa foret, turpis esset, utpo-te quæ in stipulationem induceret mortem conjugis, adeo-que tacita eandem continet turpitudinem, hinc merito rejicienda.

Nec obstat II. quod filius naturalis à tempore nativitatis habeatur pro legitimo. Nam Resp. quod filius legitimatus à tempore nativitatis pro legitimo habeatur, hoc fit per fictio-nem Juris, mediante quā legitimatio retrotrahitur ad tem-pus nativitatis, quæ tamen fictio translativa de tempore ad tempus nil immutat, aut auffert alteri de jure quæsto; Est enim legitimatio quasi restitutio naturalium, hæc autem non trahitur in alterius præjudicium. L. 2. & 3. ff. de Natal. restit. Sed Urgent hanc esse vim matrimonii, ut liberi antea nati-fiant legitimi d. Cap. 6. X. Qui fil. sint leg. adeoque non fictè, & per meram fictionem juris, sed verè, & virtute matrimonii eos esse legitimos. Sed Resp. eam esse vim matrimonii ex se, N. esse vim matrimonii tributam à Lege, C. verè enim matri-monium subsequens filios jam antea natos non potest effice-re legitimos, sed tantum nascituros, nisi lex succurrat de filiis jam natis idem statuendo, quod de nascituris, ita ut & antea-gati, & postea nascituri quoad legitimatem codem jure ha-beant.

beantur. Manet ergo, quod matrimonium subsequens ex se non possit efficere, ut filius legitimatus sit legitimè natus, sed tantum ex assistentiâ Legis ob favorem matrimonii fiat legitimus, & pro legitimè nato habeatur, qui favor in præjudicium tertii, cui jus jam est quæsumum, non potest extendi. L. 28. in f. ff. de Testam. milit.

Nec obstat III. Quod capacitas succedendi non sit mentienda à tempore nativitatis ejus, qui succedit, sed à tempore mortis ejus cui succeditur, sive quando successio defertur f. 4. J. de Hered. qual. & differ. tempore autem mortis Patris filius naturalis est legitimus, & simul ætate major, ergo huic præ legitimè nato Jus Primogeniturae debebitur. Rcfp. enim id obtinere in jure, quod post mortem antecessoris demum defertur, ut est hereditas Allodialis, scimus in eo, quod per nativitatem successoris radicaliter jam est quæsumum, ut in Jure Primogeniturae, & in Feudis receptum, ubi ex pacto primi acquirentis, vel constituentis, & assistentiâ Legis ipso nativitatis momento jus ad succedendum filio legitimè genito est quæsumum. Atque ita sententia ZOES. ad ff. Tit. de Suis & legit. hered. n. 17. TIRAQVELL. de Jur. Primog. q. 34. n. 4. GAIL. 2. Obf. 141. n. 3. ROSENTHAL. C. 7. Concl. 18. n. 9. ITTER. de Feud. Imp. C. 14. §. 3. HERMES Fasic. Jur. Publ. C. 18. q. 8. n. 16. aliquæ quos citat ITTER. d. l.

S. XI.

Priori non multum absimilis est quæstio, utrum nato ex Matrimonio Putativo, qui propter justam ignorantiam pro legitimo filio habebatur, excludo nato postea filio legitimo Jus Primogeniturae competitat? Et diffiteri haud quaquam potest liberos ex matrimonio putativo valido, licet in se ob impedimentum dirimens nullo, & invalido, procreatos, tam Jure Canonico, quam Civili esse legitimos, modò de Jure Canonico matrimonium putativum in facie Ecclesiæ præmissis denunciationibus publicè fuerit contractum, & una saltē pars tempore contra acti matrimonii fuerit in bona fide, nimirum in probabili ignorantia impedimenti dirimenti. Est hæc communis Canonistarum sententia, quæ confirmatur per Cap. II. X. Qui sit sint leg.

leg. 25 Cap. 14. Eod. Ubi INNOCENTIVS III. declarat filios esse legítimos, licet mater sola fuerit in bona fide matrimonium contrahendo cum homine jam nupto, quem solutum putabat: *In favorem prolis potius declinamus*, inquit hic Pontifex, *memoratum R. legitimum reputantes*. Nec interest, utrum impedimento sublatu forte per dispensationem, vel alio modo legitimum postea contrahatur matrimonium, an vero per sententiam judicis irritum declaretur; Priori enim casu minus erit dubii, hoc autem casu expressè assertit ALEXANDER III. in Cap. 2. d. t. *Cum inter J. vivum & T. mulierem divortii sententia canonice sit prolatæ, filii eorum non debent exinde sustinere jaæturam, cum parentes eorum publice sine contradictione Ecclesie contraxisse vocantur.* Ideoque sancimus, ut filii eorum, quos ante divortium habuerunt, & qui concepti fuerint ante latam sententiam, non minus habeantur legitimi. Cum quo etiam convenit decisio Juris Civilis, qua habetur in L. 57. §. 1. ff. de Rit. nupt. Ubi liberi ex matrimonio neptis cum avunculo contracto procreati, tanquam legitimi pronunciantur. Quæcum ita sint, non dubito assertere, natum ex matrimonio putativo præ nato postea ex legitimo matrimonio pro Primo genito esse habendum. Cum enim dispositio Capituli: *Tanta X. Qui fil. sunt legit.* etiam in Feudis Primo genitura sit recepta, non video, cur non idem quoad alia ejusdem Tituli Capitula sit dicendum. Pro quâ sententiâ HERMES C. 15. q. 10. ex Gudelino adducit exemplum MARGARITHE Filiae BALDWINI Imperatoris Constantinopolitani, Comitis Flandriæ, & Hannoniæ, quæ cum prioribus nuptiis conjuncta fuisset AVSCARDO AVESNENSI, Viro quidem illustrissimæ prosapia, sacro tamen Subdiaconatus ordine insignito, adeoque nulliter ob impedimentum ordinis, quem ordinem tamen profanis, militaribusque obtexerat officiis; Posteriori vero matrimonio legitime cum GUILIELMO DAPETRO fuisset copulata, liberi posterioris matrimonii objiciebant fratres uterinos natos esse ex illegitimo thoro, & nuptiis ab Ecclesiâ damnatis, Hi vero legitimos se esse, & insuper ordine nascendi priores, adeoque ad utrumque Principatum potiores asserebant; Per latam

Iatam autem Pontificis, aut Delegatorum Ejus sententiam fuit declaratum prioris licet putativi matrimonii liberos ob probabilem matris ignorantiam circa impedimentum, legitimos esse habendos. Quamvis LUDOVICVS Francie Rex arbitrio ad se delato negotium hoc ut componeret, Hantioniam proli prioris thori, Flandriam verò proli posterioris matrimonii attribuit, unde haec Regiones antea unitæ, disjunctæ bellis fagravunt, donec tandem utraque Ditio cum aliis ad Philipum Bonum Burgundie Ducem fuerit translata.

S. XII.

De Geminis porro non levis superest controversia; si contingerebant plures masculos primo partu ediri, & ex incuria nesciretur, quis eorum ipso natus esset, uter eorum pro Primogenito habendus? aut cui successio deferenda? Et mirum sane est, quām hic varient DD. prout videtur est apud TIRAQVELLVM de Jur. Primog. q. 17. seqq. ITTER. de Feud. Imper. C. 12. §. 18. HERMES C. 19. quæsi. 20 seqq. PFEFFING. ad Viz triar. L. 3. Tit. 21. §. 2. lit. b. n. 7. & in quām diversas abeant sententias, quarum nonnullas obiter saltem hic recensere sufficiat. Horum alii Formosiores, Robustiores alii præferendum putant, sed conjectura sunt admodum fallaces, nec enim semper Primogenitus ceteris est Formosior, nec Robustior postea genitus. Hinc Judicis arbitrio relinquendum esse statuerunt alii, sed ex quibus quoero indicis, aut rationibus. Judex poterit dignoscere, quis primò in lucem fuerit editus? quem igitur pro Primogenito pronunciabit? hinc alii casum pro amico hic dari autumant, & judicem vel hunc vel illum pro lubitu Primogenitum declarare posse contendunt; sed casum pro amico pro diabolo appellat THESAVR. Decis. 89. n. 3. & iniquum sane jus quæstum ad successionem, & Regimen totius Principatū, Electoratus aut Regni in tertii ponere arbitrio; Unde alii utrumque excludendum voluerunt, arg. L. 10. ff. de Reb. dub. L. 30. de Test. rut. Sed iniquissimum hoc, proximis exclusis remotiores admitti contra Nov. 113. C. 1. Et sicutibus propriis agris irritare alienos contra L. Praes. 6. C. de Servit. Aliorum sanguini proprio præponi con-

tra L. Cum acutissimi 30. C. de Fideicom. Ergo utrumque admittendum, & rem ipsam dividendam centent alii, ita ut ad hanc divisionem per amicabilem compositionem cogat Jūdex, vel ipse eam faciat, arg. Can. Placuit 9. Dīst. 90. Sed quid si res sit indivisibilis, ut Electoratus? Omnes tunc pro indiviso admittendos esse statuunt alii; Sed & hoc contra Aur. Bull. C. 7. §. 2. & C. 25. Hinc si unusquisque solus prætendat regimēn prout etiam potest vi A. B. d. l. nec in communione eos invitatos retineri posse constat, arg. L. 1. pr. ff. Fam. herc. L. 77. §. 20. de Legat. 2. L. f. C. Comm. divid. L. 2. pr. C. Quand. & quib. quart. Alcernis igitur annis uni cedendum regimēn arbitrantur alii; ita ut hoc anno hic solus, altero anno alter solus teneat Principatum aut Regnum. Sed & inde plures sequentur inconvenientiae, qui enim semel in possessione constitutus, difficulter alteri cedet, nec vi alter eum expellere poterit; Adhac finito unius tempore alter non poterit pervenire ad Principatum, quin processus tam civilium quam criminalium caufarum, & justitia retardetur; nam secundus procedere non poterit, qui non est in possessione, & prior manens in possessione de jure non poterit, utpote jurisdictione carens. Insuper quod uni hoc anno placuit, alteri poterit displicere, adeoque quod ille compoluit, hic iterum re-scindere, & ita lites nullum inventire exitum. Cui incommmodo obviare volunt alii hoc modo: Si circa usum & exercitium Jurisdictionis omnes domini pro indiviso possidentes unum constituant Judicem, aliosque Justitiae Ministros perpetuos, qui omnium Dominorum nomine de anno in annum sine intervallo judicent, rescripta tamē in annos singulos nomine illius Domini cuius hoc anno vices geruat, emanent. At stante hoc fructio tamē redditum non erit communis, quis ergo ad primi anni fruitionem erit admittendus? aut quid faciendum, si ad alternationem devenerit nequeat?

§. XIII.

Hinc plurimi concludunt DD. fortis rem esse committendam arg. L. 5. ff. Fam. hercise. L. 14. ff. de Judic. §. 25. J. de Legat. Et ita leniunt TIRAQVELL. de Jur. Primog. q. 17. HERMES

MES d. q. n. 33. STRYCK. Exam. Jur. Feud. C. 15. q. 32. PPE.
 FING. L. cit. & plures alii. Ae expedita res est, omnique sublatum dubium, si singuli in fortē consentiant. Verum si alteruter sibi soli Jus succendēl competere arbitratur, idque sorti committere nolit, manet prior difficultas. Certum enim est, uni ex geminis, illi scilicet, qui primus in lucem editus fuit, jus ad successionem soli competere, quod in ipso nativitatis momento in eo est radicatum, adeoque huic invito non sit auferendum, quod tamen sinistro sortis eventu ipsi invito posset auferri, si sorti se immittere cogeretur. Etenim fors est fragilis, & quæ veritatem fallere potest, ita ut illi, cui non debetur, jus possit attribuere; unde & damnata in Electionibus Ecclesiasticis C. f. x. de Sortileg. eoquod fors posset cadere super indignum contra Canones, qui jubent digniorem esse eligendum. Cum igitur quilibet ex geminis ex unā alterā p̄e presumptio sibi persualū possit habere, se esse Primogenitū, sanè cogendus non erit, ut insignem hunc Primogenituræ effectū fallaci sortis eventui commitat. Nulla itaque ex omnibus allatis DD. sententiis casu tali obveniente pro regulā servire posset, sed omnia placidæ geminorum fratum conventioni efflent relinquenda, ut propositis omnibus qua tum ad utilitatem publicam pro statu, & exigentia illius Principatū pertinent, tum ad propriam commoditatē, & tranquillitatē inter se conservandam spe-
 etant, ipsi sibi eligant, quæ sententia & publico totius bono, & privato inter se confundere magis videatur, & quod ipsis fēmel placuerit, Legis deīn inter eos habeat vigorem, quibus proinde amicabilis compositio omnibus modis effet persuadēndā. Si verò inter Principes Imperii ejusmodi casum evenire contingeret, & tentati omnibus convenire non possent, metusque forsan armorum immineret, non dubito, quia suā partē possit interponere IMPERATOR utpote in Feudis Imperii Majoribus unicus Moderator & Judex. Unde nec media hoc casu deficiunt, quibus cunctis occurrentibus difficultatis posse meget.

§. XIV.

Tam firmiter Jus Primogeniturae inhæret Primogenito, ut nec in dubio ex modo dictis huic invito facile possit auferri. Ex quibus à potiori licet inferre, quod Pater hoc Jus in Secundo-genitum invito Primogenito, si constet quisnam talis sit, transferre minimè possit, cum Primogenitus non tam beneficio Patris, quam Superioris, Legis, vel Consuetudinis, & Jure Publico hoc Jus habeat, quod Pater privato arbitrio tollere haud potest arg. L. 22. ff. de Adopt. §. 1. ubi dicitur, quod pater arrogator quartam arrogato debitam fidei commissio gravare non possit, quia hæc non judicio ejus, sed principali providentiâ ad eum pervenit, unde à paritate rationis inferre licet, nec patrem hoc Jus Primogenito auferre posse, quia providentiâ Legis hoc Eisdem debetur. Nec obstat, quod supra sectione II. §. VII. dictum: liberos etiam in Feudis debere agnoscere dispositionem Patris, nec factio ejus posse contravenire. Resp. enim hoc procedere, nisi voluntas Patris dispositioni Juris contrarietur, & consensus Domini directi accedat, cum autem Jus Primogeniturae ob publicam utilitatem semel sit introductum, & auctoritate Superioris legitime confirmatum, adeoque in Primogenito vi Legis publica sit radicatum, hoc Jus Pater privatâ dispositione immutare, & in Secundo-genitum pro libitu transferre non poterit L. 34. ff. de Paet. Quod ipsum tamen limitatur primo Nisi forte Primogenitus mente captus factus, seu alterius famosi, ac notabilis defectus existeret, propter quem non deberet, aut posset hominibus Principiari. Verba sunt *Aurea Bulla Cap. 25.* quæ *Aurea Bulla* dispositio, licet de Electoribus solum loquatur, tamen ob idenditatem rationis ad alios etiam Principatus, ubi Jus Primogeniture viget, erit extendenda. Quodsi vero successione semel ad Primogenitum devoluta inhabilitas superveniret, non ideo Principatus cum privandum, sed curatorem vel administratorem eidem dandum esse humanius esse statuit *LIMN. ad A. B. C. 7. §. 2. Obs. 12. HORN. Jurisp. Feud. C. 15. §. 21.* Limitatur secundo. Nisi Primogenitus tale commiserit crimen, ob quod successione privandus

lus esset, sic enim ad Secundo-genitum hoc Jus devolveretur. Et ita HENRICVS IV. Imperator postposito CONRADO Primogenito, quod se contra Patrem inito cum hostibus fôdere armasset, Juniores Filium HENRICVM V. Aquisgrani coronari fecit, ut ex TIRAQVELL. referre HERMES Fasic Jur. publ. C. 18. q. 16. FRIDERICVS Imperator anno 1235. Ratisbona filium HENRICVM particidii damnatum Regis titulo privavit, & Minorem natu CONRADVM Cesarem pronunciat HERM. d. C. Quamvis dictis in casibus non tam libero Patris arbitrio, quam Legis dispositione successio in Secundo genitum transferatur.

§. XV.

At licet insigne hoc Jus Primogeniturae invito Primo-genito cæteroquin habili, nec indigno auferri non possit, nullum tamen est dubium, quin primogenitus in favorem Secundogeniti hoc Jus cedere queat, cum unusquisque juri pro se introducto possit renunciare. Leg. pen. C. de Paet. L. 46. ff. Ead. L. 41. ff. de Minor. L. 1. C. de Episc. & Cler. Cuius renunciationis illustrè Exemplum exhibet LIMN. de Jur. Publ. L. 3. C. 7. n. 33. & ad A. B. Cap. 7. §. 2. Obs. 8. quod contigit in Serenissimâ Familia Brandenburgica, quando FRIDERICVS I. Elector, qui quatuor habebat filios IOANNEM Primogenitum, FRIDERICVM, ALBERTVM, & FRIDERICVM secundum, cum IOANNEM oneri, quod Electori incumbit, minus aptum arbitraretur, bonis rationibus, precibusque paternis effecit, ut hic jus suum secundogenito FRIDERICO tanquam ad res gerendas aptiori cederet, & sic Elec-toralis dignitas in Secundogenitum transferretur. Simile exemplum suppeditat VITRIAR. Inst. Jur. Publ. L. 3. Tit. 20. §. 57. ex Illustrissimâ Familia Brunsvicensi, Cum HENRICVS Primogenitus Dux Brunsvico-Luneburgicus in favorem Fratris Secundogeniti WILHELMI anno 1569. Juri suo renunciavit. Extraneo tamen, aut etiam Tertiogenito hoc Jus Primogenitus cedere vix poterit sine Secundogeniti consensu, cum enim huic deficiente Primogenito eventuale Jus ad successionem sit quæstum, mediante quo Primo-genito sine hæredibus deficiente, vel non acceptante, sive

renunciante ipso jure ad eum devolvitur successio, certe Primogenitas in præjudicium Secundogeniti hoc Jus alteri cedere non poterit, ut monet STRYK. Ex Jur. Feud. C. 15. q. 31. vid. omnino TIRAQVELL. de Jur. Primog. q. 27.

S. XVI.

Cum superioribus hujus sectionis ff. Et supra Sectione I. sapius fuerit insinuatum, quod in Primogenitura solus, si extet, succedat Primogenitus, Examinandum restat, cui deficiente Primogenito successio deferenda; Unde resoluenda venit quaestio; *Quis Primogenito ante Patrem defuncto ad successionem in Primogenitura sit admittendus, An Nepos ex Primogenito, an vero Filius Secundo genitus?* Quam quaestionem suo tempore adeò controversam invenit BALDVS in L. Cum antiquioribus C. de Jur. delib. ut post multa in utramque partem adducta argumenta eam indecisam reliquerit dicens: *Solvat Apollo.* Et Imperator OTTO Magnus ob summam controversiam eam gladiatorio judicio solvendam comisississe, & Nepotem evallisfe victorem, resert TIRAQVELL. de Jur. Primog. quest. 40 qui licet eandem altissimum vocet pelagus, cui vix fundum est reperire, allegatis tamen pro utraque sententiâ Patrio, & Nepote urgentibus argumentis, magnaè authoritatis DD. sententiâ, pro Nepote concludit. Sieut enim successio allodialis ab intestato maximâ ex parte præsumpta defuncti voluntate nititur, quod crudite explicatur à GROT. de Jur. Bell. & Pac. Lib. 2. C. 7. §. 3. seq. ita haec ipsa præsumpta voluntas etiam in successione Primogeniti sibi locum vindicat, cum hoc tamen discrimine, quod hic non tam ad voluntatem præsumptam defuncti, cui succeditur, sed mentem præsumptam, tacitam, vel expressam Legis, vel primi constituentis sit respiciendum. Ea autem est Primogenitura conditio, ut gradatim deferatur successio ex mente Legis, vel constituentis, qui uti semel Primogenitum alii prætulit, ita & omnes ejus descendentes prætulisse censemur, donec ejus linea extinguatur. L. 102. ff. de Condit. & demonstr. L. 32. f. f. ff. de Legat. 2. Quod vero ea sit Primogenitura conditio, ex ipsâ data superius sectione

I. §. 3, definitione probatnr, ubi dictum, quod Jus Primo-
genitura sit prerogativa filio Primogenito pro reliquis com-
petens. Hæc autem prerogativa, quæ vel à Lege, vel Con-
fuetudine, vel statuto, vel ultimâ voluntate Filio Primo-
genito tribuitur, fundatur in ipsâ prerogativâ Naturâ, ita
ut qui Naturâ primus ætate, primus stirpe inter fratres con-
stitutur, eidem etiam Lex, Confuetudo, vel statutum, quæ
quoad hanc materiam non differunt, omnia jura conferat,
quæ illi gradui, illi ætati, illi stipiti sunt destinata; ut ita-
que illi, cui competit Natura prerogativa, eidem etiam
prerogativa Juris competere dignoscatur, nec enim aliis
Primogenitus Juris, alius Natura est cognitus, sed uteque
est idem, ita ut quem Natura, eundem & Jura agnoscunt;
Consequenter sicut prerogativa Naturæ gradatim de Primo-
genito in Primogenitum defertur, ita & prerogativa Juris,
quæ huic necessariò est annexa, Nepoti ex Primogenito
præ filio Secundogenito debetur. Natura enim non facit
saltum, sed uti jus nascendi, sic & jus primum nascendi in-
terruptâ serie ad descendentes propagatur, & in descenden-
tibus, non autem in collateralibus continuatur perpetuò,
adeoque sicut filius erat Primogenitus, ita & Nephos ex eo
procedens pro Primogenito erit habendus. Pater enim cui
semel Primogenitus natus est, aliud ejusdem gradus & or-
dinis amplius habere nequit, sed hujus Primogenitus, ejus-
que posteri perpetuo ordine descendantium eum locum oc-
cupant. Nec refert an Primogenitus ante patrem sit mor-
tuus, nec ne, hæc enim prerogativa Naturæ, quam habet
Primogenitus, eo ipso instanti acquiritur, quo ls in lucem
editur, igitur & omnia jura, quæ illi gradui, illi ætati fung-
destinata à Lege vel constitente, & inter ea primo loco
jus successions eo ipso instanti plenissime Primogenito ac-
quiritur, & in ejus personâ radicatur, neque ullo alio tem-
poris tractu opus est; adeoque etiam plenè in descenden-
tes transmittitur. Unde recte TIRAQVEL. de Jur. Primogen.
Quæst. 40. n. 160. MOLIN. de Hisp. Primog. L. 3, C. 6, n. 30.
seq. Primogenitum jus instantaneum, & qualitatem mo-

men

mentaneam appellant. Et MENOCH. Conf. 981. EX BALDO
in L. Cum antiquioribus C. de Jur. delib. n. 11. vers. 9. dicit
Primogenitum eo ipso momento, quo nascitur, se includere,
& consequenter perpetuo excludere Secundogenitum. Quan-
do vero ex descendantibus nemo superest, dum demum fi-
lio Juris supetias fert Naturae, ut Secundogenitus loco
Primi, Tertius loco Secundogeniti singatur; Hicque est
perpetuus ordo, & progressus Naturae, nec igitur Lex, quae
Naturae fundamento innititur, aliun progressum ullo modo
habere potest. Quia enim ratione fiet, ut Frater Secundo-
genitus Primi locum occupet? an respectu Patris? at duos
ille Primogenitos habere nequit. An ratione Fratris Pri-
mogeniti? sed ab illo non est genitus. An fictione Juris?
sed illa tantum locum habet, & Naturae subvenit, dum
nullus in ordine verae Primogeniturae & descendantiae super-
est. Rectius itaque Nepos ex Primogenito, praefratore Se-
cundogenito Primogeniti jure veniet, cui Lex simul & Na-
tura tribuit Jus succedendi. ENGELBRECHT. Dissert. de Suc-
cess. in Electorat.

§. XVII.

Qui rationem decidit: quare Nepos ex Primogenito
Filio Secundogenito sit praeferendus, in Jure Repraesentatio-
nis ponunt, aliud licet verbis, idem tamen in effectu ex-
primunt. Vbi tamen notandum, quod Jus repraesentatio-
nis in Primogenitura multum differat ab eo, quod in allo-
diali successione per Leges Civiles est introductum. In Al-
lodiali enim successione per fictionem Juris tantum Patris
prædefuncti personam reprezentat Filius, vi cuius repre-
sentationis cum altero gradu propinquiori hæredi simul admitt-
atur, unde nec locum habet, nisi inter fratres, & fratribus
liberos. In Primogenitura econtra non fictione Juris, sed
re ipsa Primogeniti vices supplent ejus descendentes, cum
enim ex paulo ante dictis Jus Primogeniturae ipso nativitatis
momento Primogenito acquiratur, etiam plenè id ipsum
ad descendentes ejus devolvitur; ut itaque represtantare
Primogenitum secundum principia Juris Primogeniturae idem

et,

fit, ac Jus Primogenito competens, & ab eo in descendentes devolutum, proprio nunc jure exercere. Vnde Jus Repräsentationis in Primogeniturā non tantum operatur, ut hoc jure veniens simul cum altero gradu proximiore ad successionem admittatur, sed, sicut Primogenitus omnes alios à successionē exclusit, ita eosdem etiam excludat is, qui Primogenitū repräsentat; Nec solum inter fratres, & fratribus filios, sed in infinitum usque locum habeat. Patet itaque quod sive proprio, sive representationis jure, quod hic idem est, veniat ex Primogenito Nepos, hic patruo suo, seu Filio Secundogenito sit praeferendus. Et licet hæc sententia antiquioribus temporibus, ut ut majori etiam dum temporis DD. calculo recepta, summopore à nonnullis fuerit impugnata, ea tamen à CAROLO IV. per Textum *Aurea Bullæ* C. 7. §. 2. *Suprà Sectione II.* §. 2. recitatum brevissimis, sed clarissimis simul verbis ita est firmata, ut non amplius DD. dissonantia hæc de questione reperiatur. Vnde superfluum foret, contrarie sententiae argumenta, & exempla, quæ eidem patrocinari videntur, inter quæ illud potissimum, quod in Serenissimâ Domo Palatinâ contigit, ubi RUPERTO ex Primogenito ADOLPHO Nepoti prelatus est RUDOLPHVS Filius Secundo genitus, hocq[ue] defuncto denuo eidem RUPERTO Electorum eripuit RUPERTVS Tertio genitus, aliisque quæ afferri possent exempla, hic resolvere; Sed hæc ipsa placidæ DD. Opponentium Discussioni relinquuntur.

§. XVIII.

Verum licet quoad Nepotem ex Primogenito clara sit d. A. B. decisio, non levis tamen remansit controversia. An sicut Nepos ex Primogenito Parruo seu Filio secundo genito preferatur, ita etiam deficiente primâ generatione Nepos ex secundo genito excludat Filium Tertio genitum? quam inter serenissimos Germania Principes agitata, refert SCHÜTZ. de Vicar. Imp. Aff. 28. lit. b. Sed politis prioribus fundamentis pro Nepote ex Secundo genito erit pronunciandum. Quocunque enim modo respectu Nepotis in primâ lineâ radicatio juris, vi cuius filium secundo genitum excludat, consideretur, sive ex

F

VO-

vocatione Legis, sive ex mente primi constituentis, sive ex nativitate ipsius Primogeniti, sive ex Jure Repräsentationis, eadem semper erit ratio in Secundo geniti Nepote, cum proportio linearum semper pro fundamento ponenda; sicut itaque natura distinxit lineas, ut alia sit Primogeniti, alia Secundogeniti, alia Tertiogeniti & sic deinceps, ita & uni lineæ præ altera prærogativam concessit, ita ut Primogenitus cum totâ posteritate habeat hanc prærogativam præ Secundogenito, Hic cum omnibus descendenteribus præ Tertiogenito, & sic deinceps; ut adeo natura ipsa doceat, non aliud posse esse rationem secundæ lineæ ad tertiam, quam quæ est prima ad secundam. Sicut igitur in rectâ lineâ primus præ secundo, ita & in transversâ secundus habet prærogativam Naturæ præ tertio, consequenter etiam prærogativam Juris, hæc enim juxta dicta inseparabilia sunt & reciproca. Et quemadmodum Primogenitus eo statim momento, quo nascitur, primum Naturæ, & Juris locum obtinet, qui etiam ad Secundogenitum nunquam transire potest, quamdiu aliquis ex primâ lineâ superest, ita sensus ipse docet, idem juris contra Tertiogenitum Secundogenito continuâ serie competere. Cui consequens est, cum Secundogenitus eo ipso instanti, quo in lucem editur, quoad omnia jura Primogenitura suo tempore & loco jus radicatum, & quæstum post primi lineam habeat, quod illud etiam illius stirpi & lineæ adimi non possit, quamdiu aliquis ex illâ est superstes; cum enim Naturæ prærogativa in linea Primogeniti interruptâ serie ad descendentes devolvatur, & cum hæc etiam prærogativa Juris, idem etiam in linea Secundogeniti fiat necesse est, ne alias vana & erratica fiat non tam Primogenitura, quam Naturæ ipsa, quæ tamen eadem semper est, & immutabilis. ENGELBRECHT. d. Tr. de Successu in Elector. Unde communissima DD, est opinio de primâ lineâ ad secundam, de secundâ ad tertiam nunquam fieri transitum, etiam si in unâ vel alterâ millesimo quis sit gradu constitutus, quamdiu ex primâ, aut secundâ aliquis superest. TIRAQVELL. de Jūr. Primog. q. 10. n. 21. BEZOED. de success. Reg. Lib. I. Diff. 7. seqq. KNIPSCHILD. de Fideicomiss. Fam. C. q. n. 71.

S. XIX.

§. XIX.

Non desunt tamen, qui hanc sententiam Naturae, Juri, & Legibus Imperii maximè consentaneam impugnare conentur, & licet iidem clarissimis A. B. verbis C. 7. §. 2. conficti fateri cogantur, quod Nepos ex Primogenito filio Secundo genito sit præferendus, singularem tamen putant hanc esse decisionem, quæ ad secundo geniti Nepotem non sit extenda, quam suam sententiam roborare contendunt per d. C. 7. §. 2. A. B. in verbis: *Si vero Primogenitus hujusmodi absque heredibus legitimis laicis ab hac luce migraret, virtute presentis Imperialis Edicti ius, vox, & potestas Electionis predictæ ad Seniorem Fratrem laicum per veram Paternam lineam descendenter, & deinceps ad illius Primogenitum laicum devolvatur.* Ex quo sic argumentantur: Primogenito, ejusque hærede deficiente vocatur Senior Frater Primogeniti, ergo ille qui tempore de latæ successionis talis invenitur, consequenter Nepos ex Fratre excludetur à Fratre. Ad cuius sui asserti confirmatio nem provocant ad Exemplum WENCESLAI, cui à CAROLO IV post editam Auream Bullam data est Bulla quam exhibet GOL DASTVS parte 2. der Reichs-Satzung de anno 1357. & anno 1376, ubi dictus WENCESLAVS Quarto genitus præpositus est ALBERTO Nepoti ex Filio Tertiogenito OTTONE. Quod ipsum exemplum de WENCESLAO, nec non recitata *supra* A. B. verba eò nonnullos induxerunt, ut licet naturæ Juris Primogeniturae conformissimum esse afferant, quod Nepos ex Secundo genito Tertio genito præferatur, & sic deinceps; In Electorali tamen successione contra communem Primogeniturae naturam contrarium obtinere statuant, ita ut Fratrem Tertio vel Quartogenitum vi A. B. Nepoti ex prædesuncto Secundo vel Tertio genito reliquo præferendum existimat. vid. BYRCARD. STRUV. in syntag. Jur. Publ. disser. 16. §. 22.

§. XX.

Sed nèque in Electorali successione contrarium quid naturæ Primogeniturae est admittendum. Nec enim dicta A. B. verba, si ad principia Juris Primogeniturae revocentur, quidquam difficultatis afferunt, etiamli delata successionis tempus

inspiciatur. Cum enim juxta supra dicta proportio linearum fundamentum sit Juris Primogenitura, sicut Nepos ex Secundogenito pra' filio Tertiogenito Senior erit dicendus, si pote Senior Linea, licet non aetate. Nec officit, quod dicitur Senior frater, frater enim Secundogenitus relicto Nepote non videtur extinctus, sed in filio continuatus, in quem cum sanguine plenum jus Patris est transfusum, adeoque sicut Pater erat Secundo genitus, ita & Nepos ex eo procedens, qui succedens in locum Patris eadem gaudet, prarogativam pra' Tertiogenito, quam Pater, cuius personam representat, quasi praefentem, & viventem sistendo. Hanc autem esse *Aurea Bullae* sensum, ut sub vocabulo Senioris non tam Senior aetate, quam Senior linea in Primogeniti deficients locum sit vocatus, perspicue declaratur in Bulla SIGISMUNDI de Jure & successione Electi Palatinorum de anno 1414. quam exhibet Idem GOLDASTVS P. 2. der Reichs-Satzung / & ex eo LIM ad A. B. d. C. 7. §. 2. Obs. 16. & 17. in verbis: *Si vero Primogenitus Senioris fratris decesserit, masculini sexus laicus duxat et hereditas non reliquis, ex tunc Secundogenitus predicti fratris Senioris, & post obitum ejus Secundogeniti filius Senior laicus & si secundogenitus sine hereditibus legitimis masculini sexus laicus, decesserit, Tertio genitus dicti fratris vel Senior ejus filius post mortem ipsius, & sic deinceps &c. & additur ex ordine geniture, ut igitur Imperator progressum Naturae supra §. XVI. explicatum excludere, aut interverttere haud voluerit, sed eidem, cui Natura prarogativam dede- rit, etiam Legis prarogativam concederit.* Vnde nec exemplum de WENCESLAO ab obitu fratris Secundogeniti RUDOLPHI Junioris ALBERTO Nepoti ex Tertiogenito OTTONE Electoratum praeiriiente poterit ostendare. Cum idipsum turbulentis illis temporibus, ubi multiformis illa, ut supra Sez. II. §. 2. notatum, successio etiam inter ipsos Electores fuit in usu, si adscribendum. Et quamvis tum temporis CAROLVS IV. multis ex tam variâ successione provenientibus scandalis, & dissentionibus obviare volens Electorum successionem ad unam normam reduxerit, & per *Auream Bullam* C. 7. §. 2. & C. 25.

C. 25. eandem secundum Jus Primogenituræ ordinaverit, impediare tamen haud potuit, quin subinde ex malè intellectâ d. A. B. huic ordinationi contraria fieret successio. Quod autem dictus WENCESLAVS Elector vi Bullæ supra memoratae de anno 1357. & Bullæ de anno 1376. prælatus fuerit ALBERTO, probatione adhuc indiget. Nec enim ha Bul-
la controversiam ALBERTVM inter, & WENCESLAVM, sed eam decidunt, quæ erat inter RVDOLPHVM Juniores & ERI-
CVM II. Lavenburgicum, qui illi litem intenderat de Elec-
toratu, idque rationes initio illarum Bullarum ex ordine posita apertissimè demonstrant. Facta quidem simul fuit
mentio de successione, sed incidenter tantum, quod juri
ALBERTO competendi non potuit derogare, res enim inter
alios acta aliis non præjudicat *L. 63. ff. de Re Judic.* Adhac
exemplum hoc adeo est obscurum, ut à FAVSTO PROTVF-
FIO & aliis WENCESLAVS in alteram lineam fuerit conje-
ctus. Sed quidquid de hoc exemplo concedatur, nunquam
tamen ex eo probabitur ALBERTVM contra WENCESLAVM
controversiam instituisse, vel illius jura audita, cognita,
aut de iis sententiam latam fuisse, quod tamen maximè re-
quirebatur. Quodsi verò ALBERTVS publicæ tranquillitatis studio jus suum stricte nimis contra Patrum prosequi
noluerit, non inde negotio, aut causæ ipsæ, multò minus
tertio præjudicium afferri debet. Ne autem futuris tempo-
ribus dubitationis materia oriretur, distinctioribus adhuc ver-
bis, si forsitan ullum dubium ex Bullâ de anno 1357. esse
potuisset, totam rem explicavit CAROLVS IV. per *Bullam*
de anno 1376. ita quidem, ut sol meridie non luceat clarius.
Vid. omnino ENGELBRECHT. d. Tr. de Success. in Electorat.

§. XXI.

Ex his manifestè, ut opinor, patebit, quod lineâ in de-
scendentibus extinctâ non proximior præcisè gradu Agna-
tus, aut Senior ætate, sed lineâ evacuatæ proximior, & Se-
nior Lineâ in successione sit præferendus. Facit huc me-
morata Bulla CAROLI IV. data WENCESLAO ubi in fine sic
habetur: *quibus omnibus scilicet descendantibus non ex-*

F 3

tan-

tantibus ad proximiorem heredem secundum lineam paternam duntaxat laicum Seniorem Ducem Saxoniæ pro tempore, ac ejus heredes secundum modum superioris expressatum in perpetuum legitimè devolvatur. Idem habetur in Bullâ SIGISMUNDI, cuius praecedenti §. facta mentio; ubi expressè linealis successionis ratio exprimitur. Nec offendere quenquam deberet, vocabulum Senior ibidem additum esse. Multum enim interest, ut in proximè antecedente §. insinuatum, an quis Senior vel proximior simpliciter, an sub ordine geniture E. G. ut Primo, Secundo, vel Tertiogenitus vocetur. Illa vocatio tractum haber successivum, consequenter tempus futurum respicit; Hæc instantaneum, qua ipso nativitatis momento, quo quis Primo, Secundo, vel Tertiogenitus nascitur, verificatur, & in descendentes transmittitur. Juxta illam vocationem verbum Senior vel Proximior dicitur respectivum ejus, cui succeditur, juxta hanc respectu Primo, Secundo, vel Tertiogeniti. Atque in hæc significatione vocabulum Senior vel Proximior hic sumendum esse ipsa subjecta materia suadet. Vnde & successio secundum Jus Primogeniturae Linealis Agnatica à plerisque appellatur, eoquod non de gradu, sed de Linea Proximiori quaratur, & secundum eam successio deferatur. Acerrime quidem defuper est disputatum inter Serenissimas Ducum Saxoniæ lineas Altenburgensem, & Vinariensem occasione litis ob praecedentiam inter Illas motæ, quarum illa Proxiomorem lineam, hæc Seniorem præferendum duxit, ut videre est apud VITRIARR. Inst. Jur. Publ. L. 3. Tit. II. §. 3. & ibi PFEFFING. lit. c. Neutri parti præclari defuere defensores, Altenburgensem causam ante laudato ENGELBRECHTO d. Tr. de success. in Electorat. Vinariensem vero MELCHIORE GOLDASTO primùm libro de Jure representationis in Primogeniturâ Imperii Germanici, deinde opere cui Senior, sive de Majoratu titulus, docte propugnantibus, quorum argumenta summatum exposuit LIMN. Jur. Publ. L. 5. C. 15. n. 3. ibique in Addit. Tom. 4. Et in favorem Altenburgensem à RVDOLPHO Imperatore anno 1607. pronunciatum suisse refert.

PFEF-

PFEFFING. d. l. At quanquam mortuo FRIDERICO WILHELMO Duce Saxo-Altenburgico ultimo ejusdem linea, lis hæc quoad præcedentiam fuerit terminata per Receßum inter Domum Vinariensem, & Gothanam, ut notat STRUV. in Biblioth Jur. selec. C. II. §. 4. reliquum tamen contentionis nondum ita fuit decisum, ut nihil dissidii amplius remanserit. Hinc post obitum CAROLI Electoris Palatini linea Simerensis postremi anno 1685. eadem controversia iterum fuit resuscitata. Quando PHILIPPVS WILHELMVS Neoburgicus prioritatem Lineæ, & LEOPOLDVS LUDOVICVS Lineæ Veldentianæ Proximitatem gradus, quies defunctum attigerant, fervide propugnârunt. Acta exhibit KVLPISIVS ad Monzamban. C. 2. §. 5. pag. 26t. seq. Stetit tamen Aula Cæsarea cum Neoburgico, atque sic PHILIPPVS WILHELMUS licet remotor gradu præ LEOPOLDO LUDOVICO proprii gradu, ex proximitate linea Electoratum obtinuit.

§. XXII.

Et hæc haec tenus deducita disputationis loco sufficerre poterunt. Plura quidem in amplissimâ hæc materia di scussione digna occurunt, sed hic pedem figo, Lectorem autem Benevolum, si fortè uberiorem præstantissimæ hujus materiae explanationem desideret, ad Authores, quos in de cursu dissertationis hujus allegari, remitto, inter quos præcipue TIRAQVEL de Jur. Primog. NICOL. BETS. de Statut. Paci. & confuet. Fam. Illusfr. ARNOLD. ENGELBRECHT de Success. in Electorat. HERMES Fasic. Jur. Publ. C. 18. legi merentur, quorum maximâ ex parte insistens fundamentis, decidendi rationes hic concessi. Nec enim, ut ex proprio cerebro multum adderem, mea in arduo Juris Publici studio parum adhuc exercitata juventus mihi concessit. Interim si nonnulla, quæ in hæc dissertatione proposui, minus apta, aut non satis elaborata inveneris B. L. Primogenitum hunc esse partum cogita, qui hoc præcipuum sibi jus vindicat, ut in erratis facilius veniam mereatur.

TANTVM.


ULB Halle
005 355 729

3



1996
A

4158



Pr. 50, Num. 14.

1734, 3a

3

DISSESSATIO IN AVGVRALIS
EX JVRE PVBLICO;

DE
**SVCCFSSIONE
SECUNDVM JVS
PRIMOGENITVRÆ;**

P. 2781
QVAM
IN PER-ANTIOVA UNIVERSITATE
ERFORDIENSI
RECTORE VNUERSITATIS MAGNIFICO,
PRÆNOBILI ET CONSULTISSIMO VIRO

DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, FACVLT. JVRID. DECANO ET ASSESSORE, COD. P. P. ORDIN.
ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITIS DE GLEICHEN ET HAZFELD CONSILARIO,
NEC NON EJUSDEM CANCELLARIAE ET CONSISTORII BLANCKENHAIN.
DIRECTORE, CIVITATIS ERFORD. STNDICO
ET CONSULE,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES
AC PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME CONSEQUENDI,

SVB PRÆSIDIO NVMINIS ALTISSIMI
PVBLICÆ ERUDITORVM CENSURÆ EXPOSIT
AVTOR

**FRANCISCVS GEORGIVS ANDREAS
HEILAND,**

Bambergenis, AA. LL. & Philos. Magister.

IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI H. C.
DIE II. DECEMBRIS ANNO M DCC XXXIV.

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

